This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

VITA

DANIELIS WYTTENBACHII,

LITERARUM HUMANIORUM

NUPERRIME

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PROFESSORIS.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

AUCTORE

GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

Editio Altera.

NEW-YORK LIBRARY NEW-YORK

GANDAVI, APUD MAX. ANT. MAHNE.

ET

LUGDUNI-BATAVORUM, APUD S. ET J. LUCHTMANS.

M. DCCC. XXIII.

Μὴ πρσῆκε κατορύττειν ἅμα τοῖς σώμασι τῶν εὐεργετῶν καὶ τὴν μνήμην τῶν ἔργων.

Dion. Hal. L. IV. p. 214. edit. Sylb.

VIRIS CLARISSIMIS,

JOH. MELCH. KEMPERO

ET

DAV. JAC. LENNEPIO,

ACADEMIAE LUGDUNO BATAVAE

ATQUE

ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELODAMENSIS

PROFESSORIBUS,

S. P. D.

GUILIELMUS LEONARDUS MAHNE.

Dictu incredibile est, Viri Clarissimi, quam gravem et acerbum dolorem mihi ante hos tres annos nuntius de obitu optimi Wyttenbachii *nostri attulerit, et quanto illius viri desiderio me adhuc moveri sentiam. Licet enim omnium magistrorum meorum, qui mihi a primâ inde pueritiâ satis multi obtigerunt, de me merita semper gratissimo pectore agnovi, et quavis*

occasione praedicavi; licet debitum honorem ipsorum piis manibus numquam non habui: me tamen uni Wyttenbachio *plura debere, quam reliquis omnibus, ultro fateor. Et quidni fatear? Partim enim reditus meus in patriam e Germaniâ, ubi per duodecim fere annos optimorum magistrorum scholis interfueram, partim aliae causae, inque his primum juvenilis, ut fit, incogitantia et levitas, tum vero etiam ex bellorum deinceps gestorum diuturnitate exorta epistolarum commercii difficultas, me sensim paulatimque ab illis praestantissimis doctoribus, ut ita dicam, penitus abalienarunt. Quod profecto factum nollem. Sed nimis sero est. Omnes illi enim jam in locum communem ad plures abierunt. Sit igitur ipsis terra levis! — Porro autem, illi tres venerabiles quondam Academiae Rheno-Trajectinae senes,* Saxius, Segaarius *et* Bondamius, *qui mihi in ipsorum Academiâ aliquamdiu degenti, ac quotidie ad ipsorum scholas venienti, certissima suae erga me benevolentiae documenta dederunt, nec parum mihi profuerunt: sed illi tunc temporis in Literarum Humaniorum studio excellentissimi viri, atque splendidissima Academiae Rheno-Trajectinae ornamenta, haud ita multo post diem supremum deinceps obierunt. Quo factum est, ut cum his senibus mihi juveni tanta necessitudo ac familiaritas interedere non potuerit, quanta quidem mihi postea cum* Wyttenbachio *fuit, quem Dii diutius nobis servarunt.*

Ab anno enim superioris seculi octogesimo nono (*quo anno in optimi viri disciplinam veni*) *ipsum doctorem habui et principem tum ad recte suscipiendam et ingrediendam, tum ad strenue persequendam rationem illorum studiorum, quae juventutem ac virilem aetatem meam aluerunt, atque hoc ipso tempore, in amissione tam cari ac dilecti capitis, mihi has schedas scribenti cum maxime solatio fuerunt, nec unquam, quod spero et opto, me deserent.*

Neque Wyttenbachium *tantummodo doctorem habui,* (*quamvis id jam in praecipuâ felicitatis meae parte pono*) *verum ipse etiam per omnem reliquam vitam suam mihi perpetuo benevolus fautor, sincerus amicus, optimus patronus fuit. Mutuus inter nos amor per triginta annos literarum studii communione adeo crevit, ut ego* Wyttenbachium *veluti alterum parentem coluerim ac veneratus sim, ille vero me tamquam filium dilexerit, et quam plurima bona in me conferre numquam desierit. Quid multa? Equidem sane* Wyttenbachio *maximam partem debeo, quod mihi, ut ille ait,* vita vitalis *per multos annos fuerit. Hoc prae me ferre et affirmare numquam desinam.*

Haec autem, et plura hujus generis alia, post mortem optimi viri mecum denuo reputans, pietatis officia id à me inprimis postulare videbantur, ut literis mandarem, quaecumque ad meam notitiam pervenerint de vitâ

et rebus illius viri, qui per quinquaginta fere annos aut scholis habendis, aut libris scribundis, aut epistolarum commercio, aut alio quovis modo, quam plurimis prodesse studuerit.

Verum enimvero, Viri Clarissimi, quum neutri Vestrûm ignotum sit, quis et quantus vir Wyttenbachius *noster fuerit; quum Vos ambo una mecum ipsius disciplinâ et amicitiâ usi sitis: atque summi Viri in rem literariam egregia merita semper maximi aestimaveritis; quum praeterea re et factis ostenderitis. Vos mihi favere ac bene velle: profecto non opus est, ut multis et e longinquo petitis argumentorum rationibus explicem, cur Vos potissimum patronos hujus opusculi mihi sumserim, in quo communis magistri nostri memoriam integre conservare, ac posteritati incorrupte tradere volui. Sive enim* Wyttenbachii, *sive mei ipsius rationem habeam, cui hoc, quidquid est muneris, majori jure dedicem, quam quidem utrique Vestrûm, neminem alium sane video. Atque idcirco a Vobis peto, Viri Amicissimi, ut hoc munusculum tamquam grati erga Vos animi mei pignus accipiatis, et mihi meisque honestis studiis ac laboribus ita favere pergatis, quemadmodum hucusque Vos fecisse lubens, laetus, gratus meritoque fateor.*

Scripsi Gandavi,
M. DCCC. XXIII.

LITERARUM HUMANIORUM

STUDIOSO LECTORI

S.

TAndem ergo prodit ille libellus, quem ante hos duodeviginti menses, quo tempore typographus Gandavensis vix aliquot paginas excudere coeperat, jam FRIDERICUS LINDEMANNUS, *Professor Misenensis*, se suâ cum *Elogio* Hemsterhusii et *Vitâ* Ruhnkenii denuo editurum promisit, quemque reapse etiam statim prelo subjici curasset, ut scilicet mihi in dilibrariis meis quantocyus gratum faceret, modo nova nimis magna tarditas optimum virum et in aliorum scriptis repetendis admirabilem hominem non praeter exspectationem frustrata esset. Intellexi hoc partim e Lipsiensi librorum Catalogo, potissimum vero ex istâ superiori anno Lipsiae ab ipso editâ syllege horum trium opusculorum, *Elogii* Hemsterhusii, *Vitae* Ruhnkenii et *Elogii* Jo. Meermanni. In praefatione enim ad istum librum haec legimus: » *Quae ante hos duo et viginti annos minori pretio parabilis harum vitarum editio Lipsiae prodierat, distractis jam exemplis, ejus repetendae curam roganti honestissimae librariae ego receperam. Ut novâ quaedam accederet libello commendatio, et notas quasdam addere,*

et Wyttenbachii nuper defuncti vitam, quam audieram a Mahnio conscriptam mox in Batavia proditurum, adjungere decreveram. Illud quidem consilium quo perficerem, in me positum erat. Hoc vero irritum fecit delusa adhuc de editione Mahnianae scriptionis spes, quam erat quod opinarer certissimam. *Igitur deficiente alio, quod novum accederet, Meermanni elogium a Constantino Craso conscriptum, quod ante hos quinque annos me in Batavia summa cum voluptate legisse memineram, adjicere destinabam, idque feci. Tametsi enim Crasiana commentatio duarum priorum praestantiam neque generis similitudine, neque sententiarum gravitate, neque scriptionis elegantia aequat; tamen et ipsa suas habet virtutes, et, quod praecipuum, ita est comparata, ut juvenes ad meliora enitentes et literarum studia penitus amplecti cupientes instigare, naviterque progredientes confirmare possit; quippe nihil tantopere animum juvenilem ad summa quaeque consectanda erigit, quam commentationum de vita illustrium virorum conscriptarum lectio. Unde sperabam, fore, ut lectoribus haec talis mantissa non ingrata accideret.*"

Quid exteri de istiusmodi aliis sua surripiendi aviditate statuant, nescio: Batavis istam parum placere, non sine causâ credo. Mihi sane, ut sententiam meam libere aperiam, tale studium (nisi potius flagitium appelles) non modo per se inhonestum, et infra liberaliter instituti hominis dignitatem positum, sed in *Lindemanno* plane sordidum, ingratum, nec ferendum omnino videtur. Numnam isti homini, quum Leidae esset, Batavi propterea *thesaurorum suorum scrinia aperuerunt, et scribendi materiam praebuerunt*, ut ad suos reversus pro acceptis beneficiis hanc gratiam Batavis referret, ut continuo in

Batavorum scripta tamquam in vacuam possessionem involaret, legitimosque possessores lucrandi studio abreptus nisi bonis suis omnino spoliaret, certe inhonesto opificio damnum inferret? Pudeat pigeatque hominem tam turpis mercatûs, lucripetis tam illiberale negotium relinquat, ipseque ad saniorem mentem redeat!

Continet vero hic libellus non nisi nudam ac simplicem rerum *Wyttenbachii* praecipuarum enarrationem. In quâ ut recte et ordine procederem, primum *Wyttenbachii* scripta denuo relegi, quaeque ad propositum meum pertinere intellexi, maximâ diligentiâ ex illis excerpsi, et huic scriptioni subinde addidi in gratiam studiosorum juvenum Wyttenbachii scriptis carentium. Deinde, quae ex ore ipsius *Wyttenbachii* audieram, quoad potui, in memoriam mihi revocare studui. Et Denique, non modo honestissimam magistri viduam, ipsiusque plenum fidei fratrem subinde consului, verum etiam ex aliorum ad *Wyttenbachium* epistolis nonnulla scitu haud injucunda petii. Ex his puris et limpidis fontibus mea hausi. Atque idcirco haud facile quemquam aliquid in hoc libello reperturum esse, quod a veritate alienum sit, prae me ferre audeo.

Interim tamen probe scio, quam arduum ac difficile opus susceperim. Neque me fugiunt illa ipsius *Wyttenbachii* verba, *magnum virum nisi a magno viro rite laudari non posse.* Verum quum neque *Wyttenbachii* vita laude et praeconio meo indigeat, neque ego adeo vanus sim, qui me pro meritis Summum Virum laudare posse putem; tam benevolos et indulgentes lectores me habiturum spero, qui mihi ob honestum studium meum, quo nihil aliud mihi proposui, nisi ut disciplinae necessitudini ac pietati aliquâ saltem ex parte satisfacerem, potius

favere, quam ob virium mearum mediocritatem me carpere malint. Quinetiam, si fortasse hoc aliter mihi eveniat, et nonnulli reperiantur, qui vel majoribus ingenii sui viribus ac dicendi facultate ampliori confidentes, vel invidiâ et partium studio abrepti, dictitent, hanc scriptionem meam vix meliorem sortem mereri, nisi ut deferatur

In vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis;

tamen illa animi mei firma persuasio mihi haud levi solatio erit, me ut *vivi* WYTTENBACHII amicitiam semper maximi aestimaverim, sic *mortui* memoriam pie ac religiose usurpare et nunc voluisse, et semper usurpaturum esse.

Scripsi Gandavi,
M. DCCC. XXIII.

VITA

DANIELIS WYTTENBACHII.

Scimus quidem ex annalium monumentis, gentem Wyttenbachiorum admodum nobilem et antiquam esse, sed nobilitatis illius auctorem ignoramus. Ipse Wyttenbachius noster, de majoribus suis aliquando, datâ opportunitate, loquens, nihil aliud de iis dixit, nisi » *Literatos duos habui, utrumque Theologiae Professorem; patrem proxime, et saeculo decimo sexto ineunte Thomam Wyttenbachium, Basileae docentem, cujus e disciplinâ clarissimi Helvetiae reformatores, qui dicuntur, prodierunt, tum princeps Zwinglius.*" Verum licet hic Thomas Wyttenbachius eruditionis suae famâ quam plurimum ad gentis nobilitatem extollendam et amplificandam contulerit, tamen jam ante ipsum gestis muneribus clari viri in hac gente fuisse omnino videntur. Quis enim fuit hicce Thomas Wyttenbachius? Biennensium consulis, Ulmanni Wyttenbachii, filius. Sed quum de superioribus illis nihil ad nostram notitiam perve-

nerit, pauca de hoc Thomâ Wyttenbachio referam. Hic Biennae anno 1472 natus, primum Basileae, deinde Tubingae, studiis theologicis operam navavit, et tantâ humanitatis eruditionisque laude ac famâ floruit, ut Tubingenses ipsum per excellentiam *Helvetium* cognominasse dicantur. Finito studiorum Academicorum curriculo, brevi post Basileae magnâ cum intelligentium virorum laude, plausu et approbatione Theologiam usque ad annum 1522 docuit, et multos eruditione praestantes discipulos habuit: e quibus praeceteris *Ulricus Zwinglius* et *Leo Judas* excelluerunt. Deinde vero, quum docendi munere sese suo abdicasset, in patriam rediit, ibique in otio literato privatus quadriennium transegit, et anno 1526, aetatis quinquagesimo quarto, mortuus est.

Mox post Thomae Wyttenbachii aetatem nonnulli ex ipsius nepotibus sedem fortunarum suarum Biennâ Bernam transtulerunt, inque illâ urbe domicilium sibi fixerunt. Et quum hi posteri majorum suorum vestigia premerent, vitae ac morum honestate probitateque conspicui essent, ac sic veram gentis suae nobilitatem atque gloriam sibi integram et illibatam servarent; facile intelligitur ratio, quî factum sit, ut Wyttenbachii postea, in utrâque civitate, tam Biennensi quam Bernensi, summis honoribus functi sint, et adhuc fungantur. Operae pretium duco, quaedam ex Bangii *Elogio Danielis Wyttenbachii*, pa-

tris, huc spectantia prodere: » *Est gens Wyt-*
» *tenbachiorum*, inquit scriptor, *si non nobi-*
» *lissima, at nobilis tamen valde, siquidem*
» *honores semper magistratusque ad eam sunt*
» *a multis retro temporibus delati, hodieque ex*
« *patriciis est, quibus patet et curia et aditus*
« *ad rempublicam.*" Sed quid plura? Apparet omnino in hac Wyttenbachiorum gente, verissimum esse illud Ciceronis, *gloriam virtutis et rerum gestarum esse optimam et omni patrimonio praestantiorem hereditatem, quae a parentibus tradi liberis queat.* Quilibet enim e posteris in majorum suorum vitas, tamquam in speculum, inspexisse, et rerum ab ipsis gestarum diuturna recordatione et contemplatione ad imitandi et non nisi egregia faciendi studium incensus fuisse videtur. Certe uterque *Daniel Wyttenbachius*, tam pater quam filius, exemplo suo nobis ostendit, hanc esse maximam et praecipuam utilitatem, quam quis ex generis sui nobilitate percipere queat, si in id incumbat, ut a majorum virtute non degeneret. Quis ignorat illud Euripidis?

παισὶ γὰρ κλέος τόδε
κάλλιστον, ὅσις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς,
ἐς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους.

De parente autem non est, quod multa scribam. Qui enim illum virum propius noscere velint, BANGII *Elogium* legant, in quo accurate ostenditur, *quibus initiis et gradibus a primâ inde aetate animus viri ad virtutum*

studium conformatus, et ingenium doctrinis excultum sit, et quid quantumque in quoque laudum genere secutus assecutusve sit. Fuit vero primum in Bernensi, deinde in Marburgensi Academiâ Theologiae Professor. Atque Bernae anno 1743 uxorem duxit nobilem virginem, *Rosinam Lombach*, ex quâ *undecim* quidem liberos suscepit, sed e quibus, patre Marburgi anno 1779 diem supremum obeunte, non nisi *quinque* amplius superstites erant.

Horum ordine tertius fuit *Daniel* noster, natus Bernae die 7 Aug. 1746. — A piâ et benignâ matre enutritus, et summâ curâ ac sollicitudine educatus, non modo in spem parentum laete puerulus succrescebat, verum etiam mature jam, partim in gremio matris, maximam vitae suavitatem ac voluptatem in liberorum bonâ ac prudente educatione ponentis, partim domestici magistri operâ ac studio, simul cum duabus sororibus natu majoribus, legendi et scribendi artem discebat.

Hac elementariâ institutionis disciplinâ probabiliter imbutus, anno aetatis octavo in scholam Bernensem publicam a parentibus mittebatur, ut ibi Literarum, imprimis Latinarum, rudimenta disceret. Primum scholae pensum in ediscendis et describendis declinationibus et conjugationibus positum erat. Hoc peracto, puer quotidie e Cellarii vocabulario certum numerum vocabulorum memoriter recitare, et Erasmi colloquia interpretari debebat. Quae omnia satis feliciter ipsi succedebant. Nam

neque ingenii docilitas, neque memoriae bonitas puero deerant. Sed studii assiduitas nondum aderat. Quemadmodum plerique omnes pueri scholastici, prosperâ valetudine, ut plurimum, fruentes, ac vividi, ad ludendum procliviores sunt, quam ad studendum, et lubentius puerilia, quam seria, tractant; ita quoque Danieli nostro magis commilitonum alacritas, quam magistri severitas, illorum exercitationes, quam hujus praeceptiones arridebant et placebant. Pueri v. c. Bernenses pulchrum, honestum et decorum ducebant inter se proeliari. Igitur, in cohortes divisi, eligebant sibi suos ductores, et certis temporibus bacillis armati pugnas satis atroces inibant. Hoc ludorum genus, ut justum, parentes liberis concedere videbantur. Et quum illud etiam, ut fit, Danieli minime displiceret, reliquorum puerorum exemplo omne studium suum et solertiam eo conducebat, ut cohorti, cui nomen dederat, quam maxime utilis esset. Nihil ipsi suavius et jucundius, quam partes exploratoris, aut nuntii, aut subsidiarii agere. His in muneribus aliquando accidebat, ut speculatum hostilem puerorum cohortem in summum culmen tecti paterni escenderet, atque inde ad suos clamaret saltans, *En pueri, quam in alto sim!* His ipsis, sed magis etiam aliis, qui forte advenerant, senioribus, ad puerum oculos convertentibus,

frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

Ingemiscebant et hortabantur eum, ut sub tectum rediret. Ille ridens et sine metu sensim se introrsum insinuabat, et ad suam se cohortem recipiebat. Facinus vero istud temerarium mox ad parentum notitiam perferebatur, et ab utroque diverse ac suo more animadvertebatur. Pater cum solitâ sibi ironiâ et admodum Laconice, *Audio*, inquit, *te jam in tecto saltare posse.* Filiolus statim intelligens, quorsum id spectaret, veniam rogabat, et cum lacrymis pollicebatur, se numquam tale quid denuo perpetraturum esse.

Verum ille, *atqui*, ait, *prius in solo, quam in tecto, saltare discendum est : age nunc salta in solo.* Interim alterâ manu puerum, alterâ baculum tenens, aliquoties eum circumagebat verberans. Mater, ignara paternae animadversionis, postero die filium ita fere alloquebatur : *Mi fili! Mi fili! ideone te oblitum esse mei, amantissimae tui matris, ut eam te filio orbare auderes, teque ipse in praesentissimum mortis periculum dares : in quo tu omnino periisses, nisi te tutati essent sanctissimi angeli omnipotentis Dei, quem ego dies noctesque precor, ut te mihi incolumen servet. Qui si decidisses, quibus te manibus sustulissem? quo te animo sepelivissem? Mihi crede, mi fili, breve tibi tempus superfuissem, mox ipsa moerore confecta, te ad mortem secuta essem. Hanccine mihi gratiam, hanccine mercedem refers, pro tot tantisque curis et sollicitudinibus, quas per tui amorem exantlavi!* Haec a piâ matre et vero

animi affectu, ut pleraeque in talibus rebus solent, prodita, et naturali vocis dulcedine pronunciata, ita filioli animum movebant, ut totus in lacrymas effunderetur: nec illas mox exarescentes, sed diu manantes, et postea subinde ad hujus sermonis recordationem redeuntes. Atque ipse narrare solebat, se in posterum magis horum matris benignae verborum, quam istorum patris severi verberum cogitatione ab agendi et audendi temeritate revocatum esse. — Sed redeamus, unde digressi sumus.

Hucusque ergo pensum a magistro sibi datum probabiliter absolverat, et boni docilisque discipuli nomine atque honore fruebatur. Verum quum mox ad themata componenda accederet, in illo negotio misere laborabat et desudabat: idque partim quidem ignoratione constructionis, praecipue vero ob puerili captui accommodatorum librorum defectum, et perversam docendi rationem, quam sequebatur ludimagister. Iste enim bonus homo non magnopere animadvertebat, praeceptorem debere ad discipulorum intellectum descendere, et ipsorum infirmitatem minime onerare nimis gravi labore, ut ne studia odio habere incipiant, antequam illorum dulcedinem et utilitatem aliquo modo percipere didicerint. Discipulis istiusmodi themata dictabat, quae plane supra captum puerilis aetatis erant, et ad deterrendos potius, quam ad alliciendos discipulorum animos composita ab ipso vide-

bantur. Puer itaque multum quidem movebat, sed parum promovebat. Forte autem fortunâ aliunde veniebat impulsio, quae ipsum promoveret aliquantum, ac bonâ spe angeret. Pater quodam die intrabat museum domesticum, in quo liberi interdiu sedere solebant: filiumque et multis et varii generis libris, veluti Lexicis, Grammaticis, Phraseologiis, Florilegiis, et nescio quibus in subsidium sumtis operibus cinctum videns, interrogabat eum, quid ageret? et an illos libros omnes simul ediscere vellet? Quum bonus puer respondisset, se illis libris ad themata componenda omnino indigere; pater oculos conjiciebat in chartam ante puerum positam, et quot verba, tot fere vitia in schedâ quam plurimis lituris commaculatâ offendens, inter abeundum dicebat: *Ego te propediem themata componere docebo!*

Habebat pater duo praedia: alterum montanum, alterum campestre. In utrumque solebat studiis operatum excurrere, In illud, quod procul ab urbe, per aestatem. In hoc, quod propius erat, ad tertiam circiter horam, per reliquas tempestates. Feriae instabant brumales. Has in praedio transigere, et filium eo secum ducere constituerat. Mater, mariti sobrietatem et consuetam vivendi duritiem haud ignorans, quum tempus rusticando constitutum adesset, querebatur, filiolum ad algendum et esuriendum in apertam perniciem tam gelidâ tempestate trahi. At pater id agens, ut matris exémplo sese amabilem puero red-

deret, *quin tu mecum rus vadis*, inquit, *ubi ego te non tantum themata componere docebo, ut domum reversus condiscipulos superes, verum etiam aucupii socios habebis villici pueros* Parentem igitur filiolus haud invitus sequebatur, partim quia ipsum jam antea ruri, quam in urbe, indulgentiorem expertus erat, partim ut themata componere disceret, atque aucupari sibi liceret.

Jam statim in viâ parens filium de rebus quibusque obviis interrogabat, quae Latina earum essent nomina. Tum illa nomina in sententias et dictiones redigebat, et Latinè ad puerum loquebatur: veluti, *haec domus major est, quam illa: en equitem festinantem! haec via declivis est, illa altera vero acclivis est: haec villa plus habet agri, quam vineae.* Sensim longiora dicta proferebat. Quae puer facile intelligens, et intelligere se mirans, alacrior ad discendum reddebatur. Et pater, *in praedio*, dicebat, *faciemus themata: et pro unoquoque themate, quod feceris, dabo tibi sestertium: et jam pro eo, quantum in viâ didicisti, en tibi sestertium!* Tum puer prorsus cupiditate proficiendi incendebatur, accedente praesertim ad discendi studium etiam lucelli suavitate. Atque sic inter Latine loquendum in villam perveniebant.

Postero die horae a patre accurate dividebantur. Aliae aucupio et aliis oblectationibus cum villici pueris concedebantur: aliae thématibus faciendis et studendo destinatae erant.

Filiolus, ut patri gratum faceret, atque ipse disceret, ac nummos auferret, quotidie horâ constitutâ praesto erat, et magnâ cum diligentiâ pensum suum absolvebat. — Et haec quidem rusticatio trium fere hebdomadum fuit, ac puero multum profuit. —

Feriis finitis, ambo domum revertebantur. Mater et sorores exspectabant ipsos, et salvos rediisse gaudebant. Imprimis vero pia mater, quae filio timuerat, ipsum tamquam e naufragio servatum excipiebat, amplexabatur, osculabatur, et inter lacrymas prae laetitiâ fusas exclamabat: *Mi fili, tandemne ergo nobis bene valens et hilaris rediisti?* Tum vero pater, solitâ sibi severitate, *non modo*, inquit, *hilaris et sanus, ut videtis, rediit, verum strenue discendo etiam doctus et dives simul factus est.* Ad quae patris verba filiolus statim matri ac sororibus, gaudio exsultans, themata sua et marsupiolum numis plenum ostentabat.

At vero, etsi multum profecerat, etsi ex aucupio, traharum vecturâ et aliis oblectamentis magnam ruri jucunditatem perceperat, et pater praeter consuetudinem suam revera indulgentior fuerat; tamen eadem ista rusticatio duas, a matre jam praevisas, injucunditates habuerat. Harum altera ad victum, altera ad cultum pertinuerat. Pater nimirum homo sobrius, durus, adstrictus erat, *et qui, ut in aliis frugalitatem et temperantiam laudabat, sic etiam ipse retinebat, cum non abstemius tantum esset summe, sed ne thermoposiâ qui-*

dem ex orientalium genere delectaretur ullâ. Quum solus itaque ruri esset, cibus, quo fruebatur, quamvis copiâ abundans, tamen simplex modo, nec varius erat. Coenam, quam vocant, dubiam nullo modo ferre poterat. Mane ac vesperi, nihil nisi coctum cum pane lac. Prandium, poma sicca, in aquâ cocta, aut alia olera, et nescio quid pultis: tum panis cum caseo et butyro: caeterum nec ova, nec carnes, nedum aliae dapes, aut bellaria. Quam parum haec vivendi sobrietas paterna filio, in vitâ urbanâ sub matre benignâ largiter haberi solito, placuerit, intellectu non admodum difficile est. Pater quidem jam primo rusticationis die viderat, filiolo appositos cibos sapore parum gratos esse, eumque illorum bonitatem primum gustu explorare, et tum veluti cum fastidio pauca tantum delibare, nec tantum edere, quantum domi soleret: sed id se non animadvertisse simulabat. A consuetâ vivendi simplicitate in gratiam filii non recedebat. Hinc altero, et item tertio die idem prandium, eadem coena, idem apparatus. Quum interim filiolo fames magis magisque obreperet, et tandem ejus vi coactus cum voluptate edere inciperet, pater eum Latine alloquebatur, et narrabat ei historiolam de Ptolemaeo, cui Ægyptum peragranti nihil jucundius visum esset, quam panis cibarius, qui ipsi, comitibus non consecutis, in casâ pauperis hominis datus sit: deinde haec addebat: *Ova et carnes bilem et succos stagnantes faciunt*:

bellaria hominem pituitosum reddunt : vinum perniciosum est , quippe sanguinem aestu et fervore incendens : naturalis homini cibus est lac , mel , panis , caseus , butyrum , poma , olera. Si igitur prosperâ sanitate frui cupis , naturae convenienter vivere debes , nec vivere , ut edas , sed edere , ut vivas. Haec quum pater Latine narraret , filiolus ipsi credebat : quum eadem vero linguâ vernaculâ repeteret , ille vera esse rursus dubitabat.

Porro autem de frigoris utilitate , quam pater praedicabat , filio vel Latine narrans neutiquam persuadebat. Hoc enim diurnum et nocturnum instabat. Interdiu pauca in camino ligna lucebant magis , quam ardebant. Calor ad indicium thermometri regebatur , nec magnopere supra gradum gelationis augebatur , ut scilicet lac , aqua et atramentum fluida manerent. *Hic* , dicebat , *est caloris modus corpori humano congruens : tibi si parum est , motu et ambulatione eum auge : i et redi aliquoties hinc ad villae portam , interea tecum ediscens thema modo conscriptum : quum edidiceris , mihi memoriter recita , et rursus alium sestertium habebis.* Filius id faciebat , frigus consolans sestertiis : quorum cum numero ipsi cupiditas crescebat , Subinde tamen , clam patre , in villici habitaculum , ingentis furni ardore fervidum , se induebat lusum cum pueris. Noctis vero tristius erat negotium. Frigido in conclavi , numquam ignem experto , communis cum patre lectus : culcita et pulvinaria

non ut apud matrem domi plumis, aut aliâ molliori materiâ, verum paleis farta: tegumenta non pro anni tempestate multiplicata, aut villosa, sed aestiva et lintea, superinjectis vestimentis corpori detractis, quorum *vitalis tepor*, ut pater ajebat, *sanissimum lecto fomentum adderet*. Misellus puer, tam durae vitae rationi non adsuetus, per frigus et tarde obdormiscebat, et mane somno excitabatur. Unde ambulatum surgere se simulans, ad furnum villici sese recipere solebat, cujus uxor sortem herilis filii commiserans, ipsum omni modo fovere et recreare studebat.

Interim tamen istas paucas incommoditates sub rigido patre ruri perpessas lenierant non modo jam magnâ ex parte accepti sestertii, verum multiplex fructus, in scholâ mox conspicuus, haud ita multo post oblivioni illas omnino tradebat. In examinibus enim, quae dicebantur et habebantur *pro loco*, Wyttenbachius superiores discipulos vincebat, et in principum numerum veniebat. Commilitones ipsius sortem beatam praedicabant, quod patrem haberet, qui ipsum non modo profectibus auxisset, sed etiam praemio profectuum, nummis, cumulasset. Et ipse mihi saepius testatus est, se postea subinde hujus temporis recordatum esse, ac notum illud in suam causam convertisse,

Proveniant tales sic mihi saepe dies.

Attamen, quominus tales rusticandi dies Wyttenbachio redirent, in causâ fuit magna illa

et inexspectata loci mutatio, quae familiae anno 1756 supervenit, atque hoc loco pluribus verbis explicanda videtur, quam a *Bangio* factum video, quod in studiis Wyttenbachii regundis haud exigui momenti fuit.

In Germaniae dynastis nimirum, prudens ac liberalis doctrinarumque fautor, prae caeteris GUILIELMUS VIII, *Hasso - Cassellanus*, Marburgensem Academiam, et antea vetere famâ celebratam, et postremo *Christiani Wolfii*, philosophorum tunc temporis coryphaei, luce ac splendore illustratam, sed eâdem jam sextum et decimum, ni fallor, annum orbatam, in pristinum florem restituere, professoresque in suo quosque doctrinae genere celeberrimos, propositis luculentis salariis, arcessere instituens,

Ex seneni per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.

Bangius de hac invitatione in *Elogio* suo agens, haec refert: » *Quam theologiae dogmaticae et moralis provinciam cum decimum jam obtineret annum, ornaretque tum scholarum frequentiâ et bonitate, tum scriptis ejusmodi edendis inprimis egregie, ut non domi solum intelligentium laude floreret et gratiâ, sed etiam foris jam prope non minus famâ celebraretur; accidit anno 1756, ut Marburgum ad profitendam theologiam primarii loco invitaretur, cui insuper dos quaereretur et commendatio quaedam e consiliarii in Consistorio et Inspectoris Ecclesiarum dignitate.*"

Pater in utramque partem deliberabat et ipse secum, et cum amicis. Hi plerique omnes dissuadebant ei relinquere patriam, cognatos, affines, amicos, praeoptare novos et sibi ignotos homines, liberos secum in exilium ducere, eosque in patriâ honestis in conditionibus et fortunis collocandi spem repudiare. Ipse magis in alteram partem inclinabat: non se patriae duntaxat et suis, verum generi humano, et vero theologiae, natum judicans, cujus lucem in majore Academiâ latius spargere posset. Verissime profecto scripsit *Bangius*: » *Hic in deliberando consilioque capiendo non stipendii magnitudo tantum valuit, neque caeterae hujusmodi, quae ostentabantur, opportunitates, quibus capi non posset vir, et a rebus domesticis bene constitutus, et a studio habendi atque ambitione, si quis alius, remotus, quantum causa longe gravior, longeque dignior. In theatrum enim paulo majus, in mediam fere Germaniam produci videbatur, unde doctrinae seminum esset latius spargendorum potestas, eâque ipsâ re de plurium bene merendi studiis, quae, adeo ei spes, cum vana minime esset, fuit pro voce divinâ, cui parendum esse didicerat.* " Praeterea subierat et vetus amor erga Marburgensem Academiam, ubi *Wolfium* suum oracula fundentem quondam per annum audierat. Atque huc eum jam sponte propensum impulit insuper solertia Collegae, cui ipsius discessu aditus amplioris honorarii aperiebatur. Ea scilicet

apud Bernates erat lex ordinis ecclesiastici et literati, ut per aetatis gradus deinceps in lautiores conditiones succederetur. Iste igitur callidus et ratiocinandi peritus collega et caeteros rationes confirmabat, et aliam crepabat, salarii Marburgensis modum, propter vilitatem annonae illius duplum esse pro caritate annonae Bernensis.

Cum vero jam decedendi esset venia petenda, sunt verba *Bangii*: *ea non nisi degre est ab amplissimo Senatu impetrata, considerante, quantum in eo et decoris patriae universae esset, et utilitatis juventuti theologiae studia aemulanti constitutum. Cum tamen ad conditionem tam lautam dimittendum esse decrevissent principes, ut, quantopere ipsis per omne tempus operam probavisset, relinquerent testatum, non sine corollario, aureo grandi numero, decedere eum de statione voluerunt.*

Ergo abiit pater cum uxore et liberis Marburgum. Atque principio quidem laeto ac prospero sibi usi visus, mox spe sua se frustratum deprehendit. Quod tamen non dynastae culpa, sed locorum diversitate ac temporum commutatione accidit. Alter enim annos bellum afferebat, quod illam Germaniae partem per sexennium vastatione agrorum, direptione et oppugnatione urbium et oppidorum, incendiis, fame et omni calamitate afflixit. Ad quae quum accederet salariorum intermissio, professores insignem rei familiaris jacturam subierunt.

Sed hoc incommodum Wyttenbachii nostri parens, utpote homo admodum liberalis, tanti non aestimabat, ut ipsum ideo adventûs sui in Germaniam poenituisset. Nam quum restitutâ pace et expeditis difficultatibus, non modo damnum perpessum resarcire, verum etiam opes suas, reditibus acceptis, augere posset, id facere noluit. Satis habens eum ad modum restituisse patrimonium, quo illud ex patriâ venienti fuerat, reliquum pauperibus urbis et agri Marburgensis largitus est. Verum longe alia aderant, quae ipsi valde displicerent. Recens advena, primum quidem novitate hominum se colentium et observantium, studiaque sua et officia ei offerentium delectatus, mox tamen paulatim animadvertit, cujusmodi hoc esset, atque quantum statio stationi, vetus novae, praestaret. Venerat ille quidem ex minore in majorem Academiam, sed ex urbe majore in minorem. Major autem haec Academia dicebatur, quod haberet facultatem creandi doctores, jurisdictionem suam, plures Professores, studiosos literarum plures. At major erat illa urbs, unde venerat, utpote quae affluerat copiis ad vitae commoditatem, suavitatem, prosperitatem: magis abundaret familiis locupletibus et lautis: frequentior esset negotiis publicis ac forensibus, ludis ac festis populari laetitiae destinatis: denique sinu ipsa suo ac domicilio totius reipublicæ Senatum contineret: quarum rerum materia fere civium studia

advertit et occupat, nec ad curiosam minutamque invicem privatim speculandi sedulitatem et famigerationis maledicam temeritatem prolabi sinit. Haec in novâ statione secus erant. In quâ quidem, quod ad copiam et delectationem deerat, homo frugi et parcus non admodum desiderabat: sed minore in urbe, minori libertate sese frui, id vero aegre ferebat. Vix enim aliquando, suo more, ambulando, equitando, venando in agrum excurrebat, quin continuo hominum sermonibus differretur: ut ab amico etiam admoneretur, haec studia non convenire praesentis muneris dignitati. Scilicet haec tractaverat, nemine mirante, apud cives suos Helvetios, homines rectos ac simplices, quidlibet suo nomine appellantes. In Helvetiâ porro nude et simpliciter *Professor* audiverat, et, si forte, additâ honoris praefatione, *reverendus*; nunc vero in Germaniâ erat et *Professor summe reverendus*, et *Primarius*, et *Consiliarius ecclesiasticus*, et *Inspector ecclesiarum principatûs superioris*. Et hos titulos, quantumvis honorificos, libertatis jacturâ redimeret! Ille vero vulgi opiniones olim spernere doctus, suum sibi judicium sequi pergebat: et nomina retinebat, dum iis re satisfacere posset. Munus *Consiliarii* et *Inspectoris* aetate provectus deposuit. Rectoris Academiae provinciam semper recusavit, haud invitis collegis, in honoris et emolumenti vices succedentibus: idque tum aliis de causis, tum quoque ut collegarum

invidiae occurreret, quos magnitudo salarii ipsius urebat. — Sed ne longius a proposito aberrem, ad Wyttenbachium nostrum redibo, cujus causâ potissimum haec scriptio suscepta est.

Hic igitur *decem* annos natus cum parentibus et reliquâ familiâ Marburgum venit. Pater ipsum statim scholae publicae tradebat. Commilitonum suae classis natu minimus erat. Pensum quotidianum discipulorum illius ordinis constabat interpretatione *Nepotis*, *Comenii* Orbis picti, *Kromayeri* Colloquiis, et *Thematum* compositione. Quum aliquamdiu illius scholae alumnus fuisset, atque patri, aliis negotiis admodum occupato, non satis otii superesset ad liberos erudiendos; hic ipsis, quemadmodum antea Bernae fecerat, alium privatim magistrum adhibuit.

Is vero fuit *Jacobus Jaegerus*, qui in Academiâ Rintelensi Professor Mathematicarum Artium, sub finem superioris saeculi, si recte memini, fato functus est. Tunc vero erat adolescens et doctrinae elegantiâ, et vitae integritate spectabilis. Hic quotidie veniebat ad Wyttenbachium, et suâ comitate, affabilitate atque instituendi disciplinâ puerum adeo capiebat, ut hic eum valde amaret, ac penitus ei adhaereret. Itaque puer non contentus hac privatâ institutione, mox ad matrem se convertit, rogans eam, ut patri persuaderet, *Jaegerum* in contubernium recipere, ac sibi domesticum praeceptorem adjungere. Fecit mater: fecit

pater: et quadriennium *Jaegerus* in aedibus Wyttenbachii liberorum magister fuit.

Et profecto ille doctus vir juvenis tunc primus animum recentem ac tenerum discipuli sui novo et adhuc ignoto pulchri et venusti sensu imbuit: scientiae amorem ardore incendit, ad assiduitatem, laborisque tum capessendi studium, tum ferundi constantiam auxit et confirmavit. Hinc summa puero voluptas erat, ipsi assidere, non modo interdiu studendo, sed de multâ nocte et in multam noctem lucubrando. Latinos deinceps scriptores in illo puerilis institutionis quadriennio tractavit *Nepotem*, *Justinum*, *Curtium*, *Phaedrum*, *Virgilium*. Magister unumquodque pensum interpretando praeibat, discipulo, et sententiam perspicue aperiens, et dictionis elegantiam inprimis cum quodam animi motu notans. Tum discipulus secum tacitus pensum commentabatur ad eum finem, ut commentatum magistro recitaret. Interea autem hic suam sibi rem agebat, alium vel veterem, vel recentiorem, plerumque tamen veterem, legens scriptorem, nonnumquam de sellâ exsiliens et exclamans, *hem! quam pulchrum! quam egregium!* Wyttenbachioque locum praelegens, singula explicans, et sic ipsum non modo ad affectum consectandum excitans, verum etiam ad sensum pulchri ac venusti percipiendum acuens. Quae vera est docendi ratio; et quam *Boschius* quoque sequebatur, uti discimus ex Wyttenbachii ad

hunc scriptâ epistolâ, in quâ ipsum ità narrantem facit: » *Vide, quomodo agam: adolescentulos studiis destinatos moneo, ut attendant, quod sit momentum studiorum; sine Literis Graecis et Latinis nullam esse in ullo genere salutem: ostendo exempla, homines qui hac viâ ad summam gloriam venerunt, et rursus, qui, neglectâ eâdem viâ, inglorii et contempti manserunt: fidem et auctoritatem mihi facio apud audientes: credunt: tunc pulchrum aliquem poëtae locum iis praelego, ut moveantur et attenti reddantur: hunc iis locum interpretor, verborum vim aperio: constructionem necto, sententias declaro, manifeste ac significanter: ecce, illud, quam venustum! en hoc, quam sublime! viden' hanc imaginem, quasi picturam oculis subjectam! Sentisne? Locum ita pertractatum denuo iis praelego: et plerumque ità afficiuntur, ut cum poëtâ in altum evolent, nec relinquere eum velint, donec perlegerint.*" Quid vero ipse Wyttenbachius de ejusmodi cum judicii sanitate et justâ verborum interpretatione conjunctis acclamationibus, utpote ad discipulorum animos excitandos et acuendos admodum idoneis, statuerit, at inanem contra et nudam magistelli exclamationem, veluti *docte! eleganter! magnifice!* quomodo despexerit, haec ipsius verba certissimo nobis indicio » sunt: *Sic se res habet: ut* intelligentiae *materia sint verum et falsum, eaque doceri rationibus possint:* sensûs *autem materia sit pulcrum et turpe, gratum et ingratum, omnino quidquid*

placet aut displicet; quod nisi sponte et ultro ad sensum accidat, tum demum percipitur, quum ad intelligentiam usus et exercitatio accesserit. Nisi forte quis putet, sensum ita esse excitandum in discipulis, ut magister suo judicio acclamet, ecce! quam venustum! *Admonitio adsit, quae valeat ad observationem, rationem, et usum. Acclamatio desit, facillimum negotium; quod ab imperitis magistris ad dissimulandam ignorantiam factitatum, similes illis fert discipulos, rerum ac doctrinae inanes, vanâ sapientiae opinione plenos.*"

Aliud porro, quod ex hac disciplinâ domesticâ manavit bonum, magnum profecto, et ad omnis doctrinae rationem fructuosum, cognitio *Geographiae* et *Historiae* fuit. Quis enim est, qui se, non dico doctum, sed humanitatis participem profiteri audeat, si expers sit ejus cognitionis, quae pars est sensûs communis, quâ civium et populorum communio continetur, quam vulgares etiam homines non ignorant, et sine quâ ne publicae quidem novarum rerum ephemerides intelligi possunt? Ad hanc igitur Geographiae cognitionem, a patre dudum jam Bernae inchoatam, magnum profectum *Jaegerus* Wyttenbachio ipsiusque duabus sororibus attulit: non solum ut distributionem orbis terrarum in suas partes, et partium majorum in minores rursus partes, sed etiam dominos terrarum, urbes, oppida, montes, flumina, maria, insulas tenerent, ad lectionemque aliorum librorum, inprimis

ephemeridum, in promtu haberent. Porro autem magister, Historiae Universali percipiendae idoneum libellum *Hilmaris Curae* adhibuit, qui sane tam puerum, quam puellas, suâ brevitate ac facilitate valde capiebat. Et quemadmodum Wyttenbachius subinde nonnulla de se ipse scripsit, ita quoque harum scholarum his verbis mentionem fecit: » *Omnino fraterni amoris multae sunt causae, quas enumerare omnes longum sit: prima quidem et necessaria, iisdem parentibus nasci: tum plures, aliae aliis ita majores, ut majorem animorum conciliationem habeant: unâ vivere, nutriri, educari, a parentibus pariter amari et curari: lusum et seria, laeta et tristia, communia habere: invicem ridentibus arridere, flentibus adflere: majus etiam vinculum adfert societas institutionis puerilis: longe autem maximum communio juvenilis disciplinae, et cognitionis elegantiorum literarum, quâ et ingenium ad veri pulchrique judicium, et animus ad virtutem, excolitur; unde existit morum, sensuum, studiorum, similitudo, et ipsa amicitia, alterum ut se ipsum amans, sine quâ verus fraternus amor esse nequit. — Sed ejusmodi, qualem dixi, aequalitatis et condiscipulatûs necessitudo mihi intercessit cum sororibus duabus me paulo majoribus. Et in artibus quidem juventuti utriusque sexûs necessariis valde nos mutuo conciliabant* Historia *et* Geographia: *quas ita et ad eum modum perdiscebamus, ut quamcunque earum partem invicem interrogan-*

tes et interrogati memoriter redderemus: nec tantummodo ex nostris compendiis, sed etiam extra haec in rebus novissimis, veluti belli septennis, quod in illam aetatem incidit, gesta et vicissitudines assidue in novellis, quae dicuntur, ephemeridibus politicis, legentes, sic tenebamus, ut ea postea semper secundum ordinem temporis, quamvis subito, referre possemus. Inde utriusque linguae, id est Francicae et Germanicae, praecipuos poëtas et scriptores, qui ad mores formandos ingeniumque expoliendum valerent, legimus, et stilum exercuimus, vertendis insignibus illorum locis ex alterâ in alteram linguam, scribendis epistolis ad exemplum Sevigniae et Gellerti, pingendis characteribus ad imitationem Buyerii."

Verum etsi haec institutio jam magnopere Wyttenbachium ad progrediendum incitabat, delectatum reperiundis ad sua tempora locaque alligatis factis, adhuc non nisi sparsim e Nepote, aut aliunde, ipsi cognitis; tamen mox majus etiam incrementum huic studio historico casus quidam afferebat. Nam accidebat aliquando, ut forte fortunâ veniret ad sodalem cum fratre habitantem majore ac profectiore, qui tunc temporis ex *Hubneri Historia Universali* partem de rebus Romanis, notandis Sectionum Capitumque argumentis et Caesarum nominibus annisque, in epitomen redigeret, eamque munde ac nitide perscriberet. Ut optimus et proficiendi cupidus puer hanc scriptionem videbat, illius specie

mirum in modum percussus, similem totius libri epitomen facere sibi proponebat, nec prius desinebat, donec propositum suum ad finem perduxerat. Quâ epitome confectâ et memoriae traditâ, librum ipsum saepius relegebat, nec ejus lectione satiari poterat.

Altero illius domesticae institutionis anno ad Literas Latinas et aliarum doctrinarum disciplinas accedebat *Graecae* linguae studium. *Imperus* discipulo grammatica rudimenta ediscenda dabat. In declinationibus res satis bene ibat. Verbum τύπτω item celeriter memoriae inhaerebat. Sed simplex illa discendi ratio, quâ Wyttenbachius usus erat, magistro juveni non satisfaciebat. Nam voluerat, ut ille simul formationis Temporum rationem disceret. Atque ut laboranti auxilium ferret, ipsum adducebat ad tabulam nigram in pariete suspensam, eique inscribebat τύπτω. Tum vero, *Dic*, inquit, *futurum*. Wyttenbachius promte respondebat, τύψω, τύψεις, τύψει *caet.* Ille, quomodo formatur futurum? W. *Nescio.* Ille, *Nescis? En* τύπτω! *Sed proprie est* τύπω: *jam accedit ante* ω *character futuri* σ, *hinc fit* τύπσω seu τύψω. *Vides?* W. *Video.* Ille porro: *Dic mihi*, ait, *Aoristum Primum!* W. statim fideliter numeros et personas recitabat, ἔτυψα, ἔτυψας, ἔτυψε *caet.* At ille: *Unde formatur hic Aoristus Primus?* W. *Nescio.* Ille: *Quid? nescis iterum? Nonne vides eum a futuro formari? ω mutatur* in α, *et praeponitur simplex aug-*

mentum e: ita oritur ex *τύπτω*, *ἔτυπτα*: *nonne vides?* W. *video.* — Quum sic reliqua tempora et modos Activi, quae hortus puer simpliciter e libro didicerat, magister suo more recensuisset, *Nunc vero*, inquit, *ipse Passivum et Medium secundum hanc formulam disce, et fac, ut mihi formationis Temporum rationem reddere queas.*

Hoc autem pensum non modo Wyttenbachium vehementer retardabat, sed tantum adeo ad ipsius animum valebat, ut, quoties ad discendum accedere vellet, toties recordatione prioris taedii a discendo rejiceretur, et nescio ad quam officinam opificio factitando detrudi propemodum maluisset, quam conjugationibus Graecis amplius operam dare. Atque profecto non video, cur magister viam brevem ac facilem istâ formatione occupandâ longam ac difficilem reddiderit. Illa mihi in magis opportunum tempus rejicienda semper visa est, quo nimirum pueri conjugationum omnia exempla memoriter recitare didicerint.

Interjectis aliquot diebus, Wyttenbachius patri enarrabat, quid sibi acciderit, et qua ratione sibi, jussu magistri, in discendis conjugationibus progrediendum sit. Ad quae parens; *En*, inquit, *rursus nugas, quas in Helvetiâ ignoramus: quin tu simpliciter, ut ego quoque feci, tuo more progredere, et plane ut Latina verba, sic nunc Graeca, sine istis ambagibus, disce. De illâ formatione Temporum*

postea videbimus. Wyttenbachius hâc paternâ admonitione recreatus, denuo omnes vires intendebat. Postero enim die ante lucem surgens, et ad lychnum apud magistrum assidens, verbum Passivum et Medium commentabatur, et sub vesperam magistro totum τύπτω deinceps recitabat. Deinde reliqua verba eodem modo memoriae infigebat, et, peracto illo labore, ad verborum analysin faciendam accedebat. Fabulas autem Æsopicas tractabat, adjutus editione Heusingerianâ, et diligentissimo ejus Indice verborum grammatico.

Tertius deinde annus novum pensum, *Hebraïcum*, afferebat. Magister illius linguae elementa ex *Altingii* libro tradebat. Cognitio nominum propter paucitatem formarum, et minorem, quam in Graecis, varietatem, discipulo facilis, nec verborum difficilis accidebat, quamquam in his septenae sunt species, quae in Graecis non nisi ternae exstant, activa, passiva, media. Parens cupiebat, ut filius sua vestigia premeret, ac non modo operam daret Latinis et Graecis literis, verum etiam Hebraïcis, utpote futuro Theologo admodum necessariis, atque quantocyus ad interpretationem Geneseos accederet. *Jaegerus* igitur mox aliquot versus interpretando praeibat, et discipulum jubebat hos solum secum commentari, analysin cujusque nominis et verbi conscribere, et intra certum tempus pensum exhibere. Wyttenbachius hujus

laboris novitate, ut fit, delectatus, magnâ cum alacritate datum sibi pensum absolvebat, et sibi admodum placebat, putans, se suam rem perquam diligenter ac strenue peregisse. Verum bonus puer magno in errore versabatur. Quamvis enim interpretationem et analysin nominum magistro probasset, tamen verborum analysin eidem neutiquam probare poterat. In his enim magister rursus illam partium formationem, quam in Graecis, sed multo eam longiorem ac difficiliorem, exigebat. Neque eo contentus erat, ut notarentur pars, radix, et praefixae affixaeque litterae, sed volebat, ut simplex quaeque pars, quomodo ex praeterito formaretur, citatis etiam de cujusvis litterae et vocalis accessione paragraphis Altingianae Grammaticae, accurate indicaretur. Hoc ipse facere debuerat, et idcirco etiam a discipulo hoc ita fieri volebat. Sed Wyttenbachius, qui noverat, talia patri minime placere, statim ad ipsum se convertebat, et ipsi enarrabat, in quam miseram conditionem iterum incidisset, quantum temporis in tribus versibus explicandis insumsisset, et quam parum ipsius analysis magistro placuisset. Pater, commoto capite, *Ergone*, inquit, *numquam istae ambages desinent: fac ut in Latinis et Graecis facis, ut ego item puer feci.* Filius laeto animo obsequebatur parentis praecepto, et Psalmos XII priores, suo more, cum magistro conficiebat.

Quarto denique anno non tantum eadem

denue tractabantur, Geographia, Historia, et triplicis generis literae, Latinae, Graecae et Hebraïcae, verum etiam plane novus labor eo accedebat. Magister scilicet Latinos versus facere poterat, et idem illud artificium etiam discipulum docere volebat. Igitur ipsi *Prosodiam* Mauritii, Hassiae quondam Principis, ideoque illis in scholis lege ac more usurpatam, dabat ediscendam. Novae hujus exercitationis futurae primum pensum erant syllabae longae, breves, ancipites, earumque causae, origines, regulae, exceptiones. Has puer ediscere debebat. Constituto mox tempore Wyttenbachius, memoriae bonitate valens, quae didicerat, sine ullâ haesitatione coram magistro quidem decantabat, sed ad istam regularum subtilitatem percipiendam, ut videtur, nondum idoneus, nihil fere intelligebat. Hoc praeceptori valde mirum videbatur. Ergo rursus ad tabulam nigram discipulum vocabat. Statim tabulae inscribebat signa pedum, dactylorum, spondeorum, trochaeorum, et nescio quorum. Tum regulas prosodiae ad illorum pedum mensuram accommodabat, easque ipse pedibus manibusque puero veluti inculcare studebat. Verum quo magis tumultuabatur magister, eo minus intelligebat discipulus. Istum stuporem *Jaegerus* fictum putans, et potius pertinaciae, quam intelligentiae defectui tribuens, *Domi manebis*, inquit, *donec illa didiceris*. Puer tristis abibat, nec tamen discebat.

Horae pomeridianae dierum Mercurii et Saturni ambulando et ludendo cum sodalibus concessae erant. Quamvis igitur dies exeundi adesset, et sodales Wyttenbachium ante ostium stantes exspectarent, tamen exire non audebat, sed domi manebat. Pater ipsum forte videns, *Cur non exiisti?* inquit. Ille multis cum lacrymis respondebat, *Magister noluit*: et causam narrabat. *Ergo*, inquit pater, *nunc quidem domi mane: in posterum autem non opus erit ista ex libro illo discere, quae per Scriptorum et Lexicorum usus facilius discuntur.* Quibus auditis, filius non modo tunc isto se onere liberatum gaudebat, verum etiam postea istud artificium magistro non invidebat.

Sed nonne *Jaegerus* Wyttenbachium illius scientiae facultate multo facilius imbuere potuisset, si v. c. Virgilii, quem tunc Wyttenbachius super omnes scriptores Latinos amabat, et quasi imbibebat, aliquot versus metro solutos ipsi dedisset religandos, syllabae cujusque quantitatem, pedum formam et numerum ostendisset, ac versum scandere docuisset? At vero, his omissis, praeceptor rem a simplicibus initiis repetebat, mathematicâ fortasse methodo deceptus, quae illo tempore in Germaniâ omnibus fere in disciplinis artibusque tradendis adhibebatur. Nam ad captum quidem puerilem et vulgarem accommodatior est institutio, quae initium ducit ab aliquo composito ac toto, idque dividendo ad simplicia et partes progreditur.

Veluti in Grammaticâ, si statim proponas enuntiationem, in quâ omnes contineantur orationis partes, nomen, verbum, substantivum, adjectivum, participium, articulus, pronomen, praepositio, conjunctio, tunc singulas explices, earumque partes ostendas: in Architecturâ, si totam domum oculis objicias, ejusque partes deinceps demonstres. Sed alii aliter de his rebus sentiunt. Et habent inprimis hoc magistri ingeniosi, ut suo ipsi ingenio in erudiendis aliis decipiantur: ut rationes reddant, ubi non opus est, et eas, quas discipuli non capiant: ut non attendant, ad quas disciplinas percipiendas maturae sint alumnorum facultates: ut postulent cunctos item facere, ut ipsi fecerunt: ut cito eos docendi patientia deficiat, et facile irascantur. Scite dicit Cicero, *Quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur.*

Verum etsi *Jaegerus*, tunc temporis vix viginti annos natus, quibusdam in rebus frustra fuerat, tamen multis magnisque benefactis hoc compensaverat et cumulaverat. Et idcirco etiam postea Wyttenbachius numquam destitit felicem se praedicare, qui in tantâ bonorum magistrorum paucitate, illum juvenem nactus fuerit puerilis institutionis praeceptorem, praesertim quum discendi perfectorem haberet patrem, qui ambos errantes in viam reduceret.

Quatuordecim annos natus erat, quum pater eum idoneum judicaret, qui, relictâ puerili disciplinâ, civium Academicorum ordini adscriberetur. Proximum igitur fuit quadriennium, quo professorum scholis operam navavit. Hae scholae, more in Germaniae Academiis usitato, circumscriptae erant semestribus spatiis, aestivis et hibernis. Quae spatia vulgo *Cursus* vel *Curricula* appellari solent.

Primum spatium fuit hibernum, anno 1760 et 1761. Primum pensum autem sibi, suadente patre, sumsit *Mathesin* et *Logicam*. Hanc *Coingius* docebat singulari perspicuitatis et suavitatis laude: quae ei veniebat cum ab exemplorum frequentiâ, opportunitate, lumine, tum a quadam oris commendatione et orationis volubilitate. Mathesin tradebat *Spangenbergius*, magnâ item cum perspicuitate, nec minore gravitate et pietate, frequens in Dei laudationem digrediens, qui summus ipse mathematicus omnia numero, mensurâ, pondere fecisset: soluto problemate, caput placide movens, leniterque subridens, quasi veritatis divinitate perfusus, modo ad figuram tabulae inscriptam, modo ad auditores respiciens, hos eodem sensu afficiebat. Sed illarum scholarum fructum magnam partem Wyttenbachio auferebat gravis morbus, non sine vitae periculo corpus affligens.

Ergo altero semestri spatio easdem scholas denuo audivit, iisque adjecit *Philologiam*, *Historiam Imperii Germanici*, *Institutionemque*

Stili Latini. Hora septima matutina hisce institutionibus habendis destinata erat. Parens, somni et quietis parcissimus, ac propemodum ad exemplum Plinii majoris omne tempus, quod studiis non impenderetur, pro amisso fere habens, semperque usurpans tritum illud, *Aurora Musis amica*, non modo ipse, quamvis in multam noctem vigilans, e stratis mane surgebat; verum etiam curabat, ut filius bene mane e lecto excitaretur. Dabat nimirum ei Judaeum magistrum, qui horâ sextâ ad ipsum veniret, ac quocum codicem hebraeum legeret.

Philologia autem dicebatur tractatio linguae Hebraeae et Graecae. Utriusque et aliarum linguarum Orientalium, illâ aetate, in multis Germaniae Academiis unus Professor esse solebat. Marburgi erat *Schroederus*, frater τοῦ πάνυ *Nicolai Guilielmi*, Groningani, ejusque vestigia magno intervallo subsequens, auditor idem Schultensii et Hemsterhusii. Ipsa autem tractatio sic fiebat, ut discipulus quisque libri versum, advertente magistro, interpretaretur. In Graecis argumentum duplex proponebatur, Novum Testamentum et paucae paginae Scriptoris vel Poëtae, ex Sylloge Selectorum quondam a patre *Jo. Joachimo Schroedero* editâ.

Historiam et *Stilum* tradebat *Geigerus*, homo *nec aliorum judicio stultus, et suo admodum sapiens.* In jure publico et omni Historiâ sine dubio perdoctus erat. Sed quomodo

tractabat hic Historiam? Profitebatur se ipsam tractare *pragmatice*, h. e. accommodate ad vitam prudenter agendam, et rempublicam recte gerendam. Versatus erat in aulis Principum, et non modo sermonis Latini peritissimus, verum etiam praecipuarum recentioris aevi linguarum, Gallicae, Britannicae, Italicae callidus et disertus habebatur. Verum eo minime contentus, indignabatur se non in altiore loco positum esse, veluti ministri principalis, praefecti provinciae, legative, idque palam profiteri solebat, suam facultatem et multiplicem rerum scientiam praedicans, dynastasque reprehendens, qui eam aut non agnoscerent, aut agnoscentes non honorarent, nullam rationem civilis doctrinae haberent, nulli magnopere alii rei, nisi militiae, studerent, subditos suos in cohortes cogerent, hasque regibus lucri turpis captandi causâ venderent. Atque istiusmodi digressionibus festivisque narratiunculis iste parrhesiastes scholas conspergebat suas, saepe etiam consumebat, ajens, et auditoribus multis persnadens, se eas pragmaticas reddere. Sed quamvis cives Academici ipsum libenter audirent, et saepius narratiunculis ejus delectarentur, tamen ipsum non amabant. Neque enim auditoribus suis parcebat, quippe quos subinde irrisione et convicio corripere soleret. Caeterum vero illam ipsam historiae partem ita tractabat, ut magis auctores recenseret, quam facta narraret, quamvis ipse jucundus narrator.

Stilam, quem vocant, duce Heineccio, docebat. Hujus libro praelegendo saepe totam horam consumebat, raro ipse quid adjiciens. Porro in periodorum ratione explicandâ videbatur abuti operâ: siquidem earum confectio et cognitio ex eo est genere, quod magis usu et exemplis, quam praeceptis et ratione continetur. Praeterea exemplo Heineccii (cujus *Fundamenta stili cultioris*, illâ aetate, classicam omnino auctoritatem in scholis nacta erant, quaeque tunc temporis docti pariter atque semidocti veluti in sinu gestabant), omnia fere ad *elegantiam* referebat. Sed vel sic tamen hae scholae utilitate non carebant. Illarum initio utilem *Geigerus* operam navabat, dictans brevem notitiam Auctorum Classicorum. Praeterea interpretando ac scribendo auditores suos exercebat. *Interpretandi* materia duplex erat. Primum quaedam Elegiae Ovidianae ex libris Tristium seligebantur, et auditoribus explicandae proponebantur. Quae disciplinae pars suâ facilitate ac suavitate juvenum captui atque sensui apta omnino censenda est. Deinde vero his accedebat non classicae opus prosae, sed *ipsius* Oratio funebris in obitum Guilielmi VIII, *Hassiae* principis. Videtur nimirum Geigerus amore sui et laude sibi in ephemeridibus tributâ deceptus fuisse. Non enim simplici orationis interpretatione contentus erat, verum, ut auditores non ignorarent, quanti pretii librum tractarent, uni ex illis, incredibile dictu! illarum epheme-

ridum recensiones in scholâ praelegendas dabat. — *Scribendi* denique exercitium item duplex instituebatur. Vel argumentum chriae proponebat magister, quod auditores ipsi conscriberent, vel dabat illis thema Germanice conscriptum, quod Latine verterent. Quae posterior ratio magis scholasticae disciplinae, quam quidem Academiarum scholis convenire mihi videtur. Sed quoniam de Latine scribendi officio satis multa alio tempore et loco dixi, nec eadem denuo repetere necessarium est; pauca tantum de hoc argumento e scholis Wyttenbachii nunc afferam, quae tunc, utpote a consilio meo aliena, silentio praeterii. » *Ita se*, inquit Wyttenbachius, *res habet, ut totum illud ex patrio sermone Latine vertere utile ac necessarium sit primis in scholâ initiis, progressui ad facultatem bene pureque scribendi obsit, si quidem scribere conantem occupat cogitatione et formâ dictionis patriae, nec Latine scribere possit, nisi qui Latine cogitet. Latine autem cogitare nemo potest, nisi qui prius accuratâ et diligente optimorum Scriptorum lectione ingenium suum exercuerit, et hac studii assiduitate memoriam multis vocabulorum millibus locupletaverit.*"

Quid vero de duobus sequentibus spatiis semestribus nunc jam dicam? Hic annus Wyttenbachio, quantum ad Literarum studia, prorsus periit. Hucusque scilicet adolescentulus fuerat φιλομαθέστατος, et non modo in scholâ suas partes laudabiliter egerat, sibique

suo discendi studio parentum ac magistrorum amorem et favorem conciliaverat, verum etiam extra scholam εὐόμιλος, φιλοπροσήγορος, ἐπίχαρις fuerat. Condiscipuli hucusque libenter cum eo versati erant, et ipse vicissim haud invitus seria pariter atque ludicra cum illis tractaverat. At vero scholarum hujus anni initio summâ animi anxietate affectus, et dirâ quâdam aegritudine correptus, intra exiguum unius mensis spatium ita mutabatur, ut omnino δυόμιλος, ἀπροσήγορος, ἄχαρις fieret, nec aliis, nec sibi ipse amplius placeret. Qui antea ex Literarum studio summam animi voluptatem perceperat, ille nunc Literas pro re nullius fere pretii habebat. Cui antea vita vitalis fuerat, illi nunc vita prorsus in mucrore jacebat. Quem antea aliorum colloquia et familiaritas delectaverant, is nunc eorumdem sermones atque congressus quovis modo effugere studebat. Quemadmodum hydrophobus, quamvis sitiens, bibere tamen nec audet, nec potest; ita Wyttenbachius, licet alloquio et consolatione imprimis indigeret, nemini tamen se totum aperire audebat, nec aegritudinis causam sciscitantes ferre poterat. Vitae ipsum suae pudebat, poenitebat, taedebat, utpote sentientem, vel potius se sentire opinantem, quod ineptus omnino redditus sit ad illud naturae munus, quod, ut Cicero ait, *homines conciliat ad orationis et vitae societatem, impellitque, ut hominum coetus a se abiri velint.*

At vero, quaerat fortasse quis, quae fuit hujus tam subitae morum mutationis causa? undenam haec animi abjectio? quae haec insania mentis? Lubens profecto hanc nec relatu mihi valde jucundam, nec lectu aliis fortasse admodum gratam vitae particulam silentio praeterirem, nisi opinarer, ex ipsius, quamvis brevioni, enarratione parentes, magistros et alios, quibus sui cari sint, discere posse, quanti referat, non modo puerorum facultates, sed etiam debilitates ac proclivitates animadvertere, ut ne, quod nonnunquam fieri videmus, serius aut citius insanabiles ex istiusmodi neglectu calamitates exoriantur. — Quare, quoad potero, rem exponam.

Ut Wyttenbachius omnis historiae cupidus erat, ita cupidissimus ejus, quam facillime intelligeret, id est patrio sermone conscriptae. Quum igitur omnes libros, quorum copia ipsi erat, etiam Veteris Testamenti historicos, aliquoties legisset, alios quaerenti, et forte matris libros perlustranti in manus incidebat famosa ista Jo. Bunianl *peregrinatio Christiani ad aeternam beatitudinem*. Hic liber adolescentulum continuo advertebat, capiebat, tenebat, legentemque adeo delectabat, ut istum veluti in sinu gestaret, atque aegre de manibus deponeret. Natura scilicet hanc Wyttenbachio humanitatis sive imbecillitatem, sive mollitudinem tribuerat, ut specie vel vera vel falsa (modo evidens et vivida esset) pulchri

et turpis, decori et indecori, generosi et ignavi incredibiliter in utramque partem moveretur, et ita quodque verum aut falsum esse putaret, prout illam speciem prae se ferret. Quocirca minus mirandum, quomodo iste libellus, qui neminem alium in totâ domo Wyttenbachianâ moverat, totam suam vim in bonum et mollioris naturae adolescentulum exercere, ipsiusque animum dirâ superstitione peroutere potuerit. Absolutâ enim istius *peregrinationis* lectione, Wyttenbachius subinde ad se respiciens, et secum reputans, quo ipse huius itineris loco esset, miserum in modum torquebatur, metuens nempe, ne forte rectam viam reliquisset, atque in tale peccati praecipitium incidisset, ubi inexpiabile, nec nisi aeternâ poenâ luendum scelus suscepisset. Hae et aliae plures ejusmodi cogitationes ipsum cum interdiu, tum potissimum noctu, quum solus esset, admodum angebant et cruciabant. Nihil nisi spectra videre sibi videbatur. Ob peccata sua a diabolo ejusque satellitibus, malis daemonibus, sese in omnem aeternitatem exagitatum iri arbitrabatur. Et licet noverat, se a parentibus valde amari, tamen non audebat ipse, causam tristitiae et moeroris sui requirentibus, illam omnino narrare. Quinetiam eo devenerat, ut parentes, magistros et amicos, quamvis religiosos, in istis interioribus sacris nihil sapere, ac quasi profanos censeret. Ipse secum solus ac tacitus suum dolorem concoquebat. Modo

divinae voluntatis indicia captans, codicem sacrum aperiebat subito, et in quem versum forte incidisset, illum pro omine accipiebat. Modo, sole oriente aut occidente, coelum intuebatur, et observabat, utrum sibi gratiae divinae, an irae coelestis signa ostentarentur.

In his autem terroribus et animi abjectione quum novem fere menses misere traduxisset, ac corporis ejus vires adeo imminutae ac debilitatae essent, ut haud procul a mortis periculo abesse videretur; tandem evenit, ut filius, dilectae matris precibus victus, eum ipsâ secretum et morbi causam communicaret.

Pia scilicet mater, quum rursus tristem noctem insomnis peregisset, mane e lecto surgens filium adibat, eumque solitâ sibi blandiloquentiâ et humanitate ita fere alloquebatur: » *Mi fili, dies noctesque Deum omnipotentem precor, ut meos liberos, pro singulari suâ bonitate, incolumes mihi servet, ut paterno amore suo vos amplectatur, et per sanctissimos angelos suos tueatur, nobisque omnibus peccata nostra benigne condonet. Atque hac nocta rursus flagrantissime oravi, ut te imprimis a morbo tuo, qui nunc jam te tandiu oppressum tenuit, tamquam a malo pro suâ omnipotentiâ liberaret. Quid et quantum tuâ causâ patiar, tibi non ignotum est. Quomodo in dies dolore magis magisque tabescam, vides. Sed pro omnibus hisce curis ac sollicitudinibus meis nullam aliam remunerationem postulo, nullamque aliam gratiam repeto, nisi ut mihi aegri-*

tudinis et tristitiae tuae causam aperte indices. Cur, quaeso, pectus tuum mihi non vis aperire? Estne alius quis in toto terrarum orbe, quocum tua secreta liberius, quam cum matre tui amantissimâ, communicare queas? Dolorem, quem ex tuo miserо animi statu et inexpugnabili retinentiâ percipio, diutius ferre non possum. Per Deum omnipotentem, carissime, te oro et obtestor, ut os mihi tuum aperias! Effunde omnia, quae te cruciat, anxietatem libera in sinum meum, antequam ultima vitae meae hora advenerit, quam haud procul, mihi credo, abesse sentio, et tu, mi Daniel, praecipua causa mortis meae fuisse dicaris!"

Haec ab optimâ et sibi carissimâ matre amoris et commiserationis sincerissimo affectu prodita adhortatio, et insuper metus, ne matrem pertinacia et silentio suo occidisse aliquando diceretur, adeo puero animum percellebant, ipsumque tanto pere concutiebant, ut, effusis inde lacrymis, matremque amplexans et osculans, exclamaret: *o Utinàm natus non essem, aut istum librum nunquam legissem!* Pia mater ad haec filii verba, *Quemnam*, ait, *librum nunquam legisses?* Filius respondet, *Istum, quem in lecto invenies.* Tum illa statim quaerens, et *Bunianum* sub pulvinari positum videns, *Quid*, ait, *ista liber tantam et tam diuturnam tibi melancholiam creavit? Istene adeo ingentem animo tuo timorem injecit? non video, quî haec fieri potuerit.* Filius plorans dicebat, *Et hoc ita tamen esse, tibi sancte*

et per Deum affirmo. His dictis, mater, quae longe alia, eaque graviora, timuerat, veluti magno onere levata et liberata, ad maritum currebat, et librum ipsi ostendens, addebat, *En tristitiae et aegritudinis fundum!* Maritus, quum librum inspexisset, conjugi breviter quidem, at significanter, reponebat: *Ita fit, si non recte vivitur.* Quod responsum quid sibi vellet, quum optima conjux non satis perspiceret, tristis ac tacita abibat, putans, omnem consolandi suavitatem ac facultatem in animo mariti plane exaruisse.

At vero interim secum reputans, qua ratione istam gravem tristitiam, quae jam adeo altas radices in animo filii egisset, ex illo sensim paulatimque rursus pelleret, atque intelligens, sibi hac in re amicis et adjutoribus inprimis opus esse, continuo epistolium mittebat ad *Spangenbergium*, quem virum sanctum, et cum natione religionum, a filio meritum amari sciebat, ipsumque rogabat, ut sub vesperam Danielem inviseret, qui diuturni angoris sui causam tandem secum communicasset.

Spangenbergius, cui nihil magis cordi erat, quam aliorum commodis inservire, et amicis officia humanitatis praestare posse, hora constituta sese venturum pollicebatur. Quo nuntio accepto, mater utrumque, et filium et maritum, de vespertina Spangenbergii salutatione certiorem faciebat. Maritus, *Optime*, inquit: *Verum, carissima, dic tu interea*

Danieli, ut domi maneat, nec ambulatum eat. Cum ipso nobis agendum erit. Coram vobis puero dicam, quae sit mea sententia de isto morbo, quem sibi malâ sedulitate ac reticentiae suae pertinaciâ contraxit, et qui ipsius animum anili superstitione infecisse videtur. Filio autem nihil hoc ipso tempore magis gratum erat, quam Spangenbergium praesentem videre. Quoniam enim numquam ausus erat aperte atque effuse cum patre agere, aut secreti quidquam communicare, atque nunc in primis paternam animadversionem timebat, in Spangenbergio, cujus animi moderationem noverat, sibi plus praesidii atque auxilii, quam in matre, licet sui amantissimâ, fore sperabat.

Deinde sub vesperam, quum Spangenbergius adesset, ac parens primum cum ipso de rebus aliis, potissimum Academicis, egisset, tum vero, occasione oblatâ, multum questus esset de multorum juvenum perversâ studendi ratione, utpote qui potius multa, quam multum, legerent, atque, uti rapaces vultures in praedam, sic ipsi in quaelibet scriptorum opera, nullo prorsus habito dilectu, temere involarent; tandem ad filium se convertit, et cum eo sermonem habuit, quem ita referam, ut ipsos quasi colloquentes inducam, et colloquium coram nobis habitum omnino videatur.

P. Audistine, Daniel, quae modo de malesanâ multorum juvenum studendi ratione dixi? D. Audivi, pater. P. Ergo nunc etiam

audias sequentia. Istis librorum quasi helluonibus tu quoque annumerandus es. Non contentus illis libris, quos ego tibi legendos dederam, aut quos magistri tui in scholis tibi commendaverant, alios, ut video, anquisivisti et reperisti. Istorum lectio te diu, ni fallor, occupatum tenuit, et solus tibi sapere visus es. Nonne? D. Alterum nescio, alterum verum esse confiteor. P. Utrum verum esse confiteris? D. Me alios praeterea libros anquisivisse et legisse. P. An etiam inter illos BUNIANI haec *peregrinatio* fuit? D. Unus e praecipuis fuit. P. Quantum igitur boni ex hoc libro percepisti, aut in quantum propius ad metam tibi propositam pervenisti? D. Nescio. P. Quonam igitur consilio istum librum legisti? D. Ut ejus lectione nisi melior, certe doctior, fierem. P. Hujusce voti tui participemne te factum putas, nec ne? D. Me doctiorem redditum esse, affirmare non audeo: verum me pejorem non factum spero. P. Nemo est, qui se pejorem fieri speret. Verum, uter tibi in culpa esse videtur, quod consilium tuum non assecutus sis, nec doctior evaseris, tune, an libri tui auctor? D. Fortasse uterque nostrum. P. Quare uterque, ac non potius alteruter? D. Quia subinde in loca incidi adeo difficilia intellectu et obscura, ut ex iis me expedire non potuerim, atque nonnumquam etiam alia offendi, quae, quod mihi vera, aut certe verisimilia, non esse videbantur, memoriae

mandare nolui. P. Cur autem, quum legendo, ut ais, doctior fieri cuperes, nec me, nec alium quemvis rogasti, ut te hunc illumve locum non intellectum explicaremus; aut de dubitationibus tuis disséreremus tecum, et sic argumentis in utramque partem ponderatis verum exquireremus? Tali certe modo fructum e lectione tuâ percipere, ac doctior fieri potuisses. D. Non ausus sum id facere. P. Quasi tu adeo timidus sis. D. Est, ut dico, pater. P. Undenam igitur ista timiditas? D. Verebar, ne librum illum mihi ademturus, et sic me magnâ voluptate privaturus esses. P. Optime. Sed nonne vides, ô bone, te hac confessione tuâ ipsum ostendere, istius libri lectionem tibi jam ab initio illicitam visam esse? D. Id non video. P. Anne igitur ego tibi unquam bonorum librorum lectionem interdixi, aut te utilibus et studio tuo accommodatis libris privavi? D. Numquam sane. P. Cur ergo nunc metuebas, ne id facturus essem? D. An cum ratione metuerim, nescio: at me vera loqui, id certum est. P. Credo. Sed visne ut ego verum tibi dicam? Metuisti, quoniam intelligebas et sentiebas te perverse agere, nec verâ et sincerâ, sed falsâ ac fucatâ voluptate frui, tibique non licere tempus legendis a proposito tuo alienis libris perdere. Quid mihi respondes? D. Nihil habeo, quod respondeam, nisi hoc unum, me facti poenitere. P. Vide nunc jam porro, quo deveneris. Ego tibi Literarum, Matheseos et

Logices studium commendaveram, ut antea res humanas disceres, quam animum ad divinas adverteres. Tu, contra, quasi major tibi rerum usus et intelligentia esset, rationi magis consentaneum duxisti praeposterе agere. *Eunianum* ergo viae ducem tibi elegisti, parentem et reliquos magistros superbe repudiasti. Cupisti igitur peregrinatore tuo, quamvis alarum remigio adhuc destitutus, per altos nubium tractus volare, et coelestia perscrutari maluisti, quam nobiscum prius in rebus humanis omne studium collocare, et deinde demum, his bene perceptis, altiora petere. Verum temeritatis tuae justas poenas dedisti. Quum enim ad talem peregrinationem suscipiendam nondum necessariis subsidiis instructus, neque ad illius molestias exantlandas adhuc satis virium haberes, ducem tuum aequis passibus sequi non potuisti, teque solum in peregrinis et ignotis regionibus tibi derelictum videns, primum metuere, tum labare et vertigine laborare coepisti, atque haud diu post, amisso aequilibrio, ex illo altitudinis gradu, in quem vix escenderas, in hanc profunditatem incidisti, in qua nunc jaces. At ita fit, si parentum praeceptis non obsequimur, nec recte vivitur. D. Mi pater, si peccavi, quod intelligere mihi videor, quin etiam confiteor, non voluntarius, sed inscius peccavi. Malus error, non peccandi libido, me abstulit. Quare hoc unum a te peto, ut mihi errorem meum

condones. Quo minus enim talè quid rursus accidat, omni studio atque operâ cavebo. P. Quomodo tu, qui nondum sedecim annos natus es, vir stare poteris, quum nunc ita jaceas? Quid tibi animi erit munus suscipere ac tueri coacto? Quibus oculis intueberis publicam lucem; tu qui nunc privatos aliorum congressus ac sermones fugis? Precare Deum, ut tibi errores et peccata tua condonet, teque erigat, ut ad intermissa studia rursus redire queas. Ubi te Literarum et Philosophiae cognitione satis imbutum intellexero, tunc ego tibi jam indicabo viam, quâ ad vitam beatam et beatorum sedes pervenias, et istiusmodi itinerario tunc haud aegre carebis.

Spangenbergius hucusque tacuerat, ne patrem interpellaret. Sed, finitâ adhortatione, ut matris timori pro salute filii succurreret, atque patri, cujus calorem noverat, occasionem ulterius progrediendi, et filium vehementius etiam carpendi, adimeret, *Noli*, inquit, *credere. Clar. Collega, me Danielis patrocinium suscipere velle. Miseret me quidem boni pueri, at nihilo secius tamen fateor, ipsum imprudenter egisse, ac male sibi consuluisse. Quia vero etiam alii similem in juventute suâ errorem commiserunt, et tamen postea amicorum ope et naturae suae bonitate viri probi ac probati evaserunt, item omnia bona de Daniele nostro speremus et exspectemus. Sinatis, quaeso, ipsum cras ad me venire.* Tum ad Danielem conversus, *Ibimus*, ait, *ambulatum extra urbis*

pomoeria, ut liberiori aurâ fruamur, nec a molestis interpellatoribus, aut vulgo profano, impediamur, quominus aperte nobiscum invicem animi nostri cogitata communicemus. Parentes humaniter annuebant, et Daniel sese venturum statim pollicebatur.

Postero igitur die veniebat Wyttenbachius, quemadmodum promiserat, ad Spangenbergium, et eo quidem consilio, ut tandem cum ipso communicaret, quae domi proferre non ausus fuerat. Quum vero portâ egressi, et inter confabulandum de rebus obviis aliquantum progressi essent, Spangenbergius, simulans se mirari, quod Wyttenbachium tamdiu non vidisset, sermonem cum eo habere coepit, cujus praecipuam partem, majoris perspicuitatis causâ, eodem modo nunc referam, quo priorem cum patre habitum.

Sp. Verum per hos fere septem menses domi meae non fuisti, qui tamen antea me saepius invisere solebas. Num fortasse putasti, me tantum esse, nec te amplius ut unum ex optimis discipulis amare ac diligere? W. Minime id quidem credidi. Sp. Quid igitur illo tempore potissimum egisti? quibus studiis animum tuum oblectasti? W. Maximam illius temporis partem legendâ illâ Bunyani *peregrinatione* consumsi. Ille liber me adeo cepit, ut ejus lectione satiari non potuerim. Sp. An ergo illum librum totum perlegisti? W. Aliquoties eum perlegi. Sp. Jam itaque velim, ut mihi dicas, quid tibi in

illo libro inprimis memorabile visum sit. W Id nequeo dicere: nam omnia fere nova, mira et memorabilia mihi visa sunt. Sp. Attamen heri dixisti, te nonnulla non intellexisse, et quaedam praeterea tibi non vera, certe non verisimilia, visa esse. W. Ita omnino est: sed loquor nunc potissimum de iis, quae legi acprobavi. Sp. An tu igitur omnia, quae in isto libro tuo legisti, atque, ut ais, probasti, omnino vera esse credis? W. Quidni credam? Nonne auctor fide dignus est? Sp. Utrum auctor fide dignus sit, nec ne, non quaero. W. Quid igitur quaeris? Sp. An tibi certis de causis persuasum sit, et satis superque constet, quae legeris, non nisi vera esse posse, hoc inprimis illud est, quod quaero, et scire cupio. W. Hoc prorsus affirmare non ausim. Sp. Nonne igitur res a scriptore relatas prius justâ examinis lance ponderasti, quam eas probares? W. Id quidem non feci. Sp. Quomodo igitur in legendo versatus es? W. Quae mihi probabilia videbantur, vera esse credidi, et de auctoris fide dubitare numquam mihi in mentem venit. Sp. Ergo plane contrarium fecisti ejus, o bone, quod in scholis Mathematicis et Logicis fieri et doceri solet. W. Qui, quaeso, hoc? Sp. Quid? hoccine tu non vides? tene a rectâ viâ abernasse non intelligis? W. Nondum illud video, neque intelligo. Sp. Audias igitur. Anne ego unquam aliquod problema proposui in schola, cui neque solutionem subjecerim,

neque demonstrationem adjecerim? W. Numquam profecto. Sp. Erantne vero inter illa problemata omnino nulla adeo probabilia et verisimilia, ut demonstratione haud magnopere indigere viderentur? W. Fuerunt sane quaedam. Sp. Jam igitur vix dubitem, quin ego in scholâ, addendis istis solutionibus atque demonstrationibus, actum agere, aut tempus perdere, nonnumquam visus tibi sim. W. Tantum absit, ut hoc ita esse putes, ut contrarium verum esse potius tibi persuadeas. Sp. Quî, quaeso, hoc? illud enim non capio. W. Te verba mea mihi reddere quidem audio, sed nihilo secius tamen ita est, ut dico. Sp. Cui igitur bono haec opera mea fuit? W. Ita agens mihi non modo ostendisti rationem, quâ id, quod propositum erat, effici posset, verum me etiam docuisti, solutionem problematis eo modo fieri posse, quo dixeras. Sp. Nonne vero ex his verbis tuis apparet, demonstratione praecipue effici, ut ex rebus perceptis, sive certo cognitis, ad illa adducamur, quae antea nondum percipiebamus? W. Nihil mihi verius esse videtur. Sp. Ergo etiam necessariò mihi concedere debes, hanc esse vim et auctoritatem demonstrationis, ut, non nisi illâ accurate adhibitâ, in animo nostro veritatis certa cognitio exoriatur, et incognita pro cognitis habere desinamus. W. Hoc lubens tibi concedo. Sp. Nonne porro in scholis Logicis audivisti, quinam libri potissimum studioso Literarum juveni

legendi sint, et quâ ratione in illo officio versari debeat? W. Magister, si recte memini, hoc argumentum tractavit, quum nobis explicaret illa Quintiliani, *praestat legere multum, quam multa.* Sp. Nonne praeterea didicisti, probabilitatis varios esse gradus, ejusque pretium secundum varietatem horum graduum aestimari debere? W. Haec quoque mihi tradita esse recordor. Sp. Et vel sic tamen illorum omnium, quae didicisse te fateris, ne minimam quidem rationem habuisti. Primo enim delectum librorum omnino nullum adhibuisti, sed proximum quemque cupide ac temere arripuisti, cursim et properanter pervolvisti. Ex hac lectione vagâ et temerariâ nullos fructus solidos percipere potuisti. Deinde, quum in *Bunianum* incidisses, eique penitus adhaereres, pejus etiam egisti. Simulatque nimirum quaedam narratio modo aliquam probabilitatis speciem prae se ferre tibi videbatur, tu eam continuo pro verâ habuisti, et tantum fidei auctori tuo tribuisti, ut de investigandae et cognoscendae veritatis studio et officio ne per somnium quidem cogitaveris. Judicium tuum adhibere desiisti: Buniano te veluti in servitutem addixisti: et in isto statu, amissâ libere cogitandi, recte ratiocinandi, aut bene argumentandi facultate, in errores incidisti turpes, et incogitantiae tuae graves poenas dedisti. W. Est omnino, ut ais. Graviter peccavi: sed gravius etiam me punitum sentio. Quoniam autem

nihil ardentius cupio, quam errores meos quantocyus corrigere, et nihil magis desidero, quam in pristinam viam, a me imprudenter relictam, redire posse; te etiam atque etiam oro rogoque, ut me jacentem erigas, et a metu, quo tamdiu jam misere crucior, quantum queas, liberes. Sp. Id facere conabor, modo tu omnia mihi candide et aperte enarres, nec quidquam omnino reticeas. Novi enim istum librum: scio quid aliis, isto lecto, acciderit: neque dubito, quin tu eodem morbo labores, quo illos afflictos vidi.

His dictis, adolescentulus se totum magistro aperiebat, diversas metûs sui causas cum ipso communicabat, et, praeter alia multa, inprimis commemorabat illum terrorem inexpiabilis peccati contra Spiritum Sanctum, quo se dies noctesque torqueri et miserrime angi dicebat. Spangenbergius, quâ erat humanitate, ad singula loca breviter quidem, at prudenter, respondebat, et de gravioribus argumentis aliquanto fusius, verum semper tamen ad juvenis captum accommodate, disserebat, omnique modo ipsius animum tranquillare studebat. Sic. v. c. (nam multa referre non lubet) quum pervenisset ad locum de peccatis contra Spiritum Sanctum commissis, more suo placide innuens, *Noli*, inquit, *o bone, vano terrore agitari, quem hominum indoctorum error peperit, qui non viderunt, illud non ignoscendum peccatum adversus Spiritum Sanctum non nisi ad tempora Christi et Apo-*

stolorum pertinuisse, eique peccato obnoxios non alios esse intelligendos, nisi eos, qui tunc illorum miracula tamquam dona Spiritûs Sancti contemsissent. Atqui, ut in communi vitâ, quod Horatius ait,

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem:

sic in civitate Dei, cujus suprema lex est salus civium, nemo sponte est malus, nemo tam perditus, ut eum Deus servare aut nequeat, aut nolit. Ita enim Deus humanum genus amavit, ut ei servando filium suum mitteret, et hodieque suos angelos mittat. Unde enim fit, ut plerisque hominibus temere viventibus, et in vitae pericula se conjicientibus, non plures pereant, nisi quod angeli eos tuentur? Unde fit, ut homines saepe cogitationes supra humanum captum egregias concipiant, nisi eas ex occulto inderent inspirarentque angeli?

Quibus verbis quum juvenis animum commovisse videretur, mox ita fere pergebat: « *Ratio nunc postulat, carissime, ut ex animi debilitate tuâ te quamprimum erigas, ista superstitionis vincula disrumpas, quibus constrictus teneris, et contra istam belluam, tamquam contra hostem omnes occasiones captantem, quovis modo tibi caveas et prospicias, atque sic te rursus in libertatem vindices. Atque ista clades, quam per hosce aliquot menses expertus es, quum externam tibi facultatem labefactaverit, tu nunc jam internam alas et augeas. Ac si forte istud detrimentum*

te apud iniquos judices deprimat, tu eo magis operam des, ut istorum praejudicium apud aequos et intelligentes rerum aestimatores doctrinae abundantiâ refellas et obruas. Ad quod efficiendum nihil Literarum Humaniorum et Philosophiae studio efficacius esse scias. Harum indefessâ et assiduâ tractatione tuas mentis animique facultates excolere denuo incipias, ut ne, si quando, quod fore non negaverim, spectra et alia id genus terriculamenta fortasse redeant, et vim in te suam iterum exercere velint, tu istis muliebriter rursus succumbas, verum ut, valido philosophiae praesidio munitus, omnem impetum istorum viriliter repellere queas."

Sic fere disserebat humanissimus Spangenbergius, atque juveni persuadebat, cui ad amabilem Dei speciem a magistro informatam illud Virgilianum occurrebat:

Olli subridens, hominum sator atque Deorum
Vultu, quo coelum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natae.

Atque plura etiam referre possem, nisi vererer, ne nimis longus in tractando isto argumento forem. Satis itaque sit monuisse, Wyttenbachium praeceptis et admonitionibus Spangenbergii obsecutum, ac partim bonorum sodalium familiaritate exhilaratum, potissime vero naturae bonitate suae adjutum, sensim paulatimque ad se rediisse. Vetus literarum amor ac studium non modo revertentes subinde terrores tandem penitus dispellebant,

verum etiam ipsius animum recreabant, et Wyttenbachium, perspectâ mox scientiae ad laudem vi atque necessitate, in dies magis magisque ad discendum impellebant. Et quum mihi aliquando multa de isto animi sui morbo enarrasset, ipsum haec fere addere memini: » Attamen nihil tam est malum, quin aliquid certe boni secum ferat. Perpessâ enim istâ calamitate, sane in posterum magis τὸ εἶναι, quam τὸ δοκεῖν consectatus sum: quod fortasse absque illâ clade contra fuisset, ut solâ specie et opinione doctrinae contentus fuissem. Nam antea valueram eâ loquacitate ac facultate, ut aliis etiam, quod nescirem, scire viderer: nunc illâ mulctatus, ne id quidem, quod sciebam, scire videbar. Et meo exemplo edoctus, diu postea Plutarchum legens, eum vere et praeclare de diversorum vitiorum, impietatis et superstitionis, ortu pronuntiasse intellexi: Τῆς περὶ θεῶν ἀμαθίας καὶ ἀγνοίας εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς δίχα ῥυείσης, τὸ μὲν, ὥσπερ ἐν χωρίοις σκληροῖς, τοῖς ἀντιτύποις ἤθεσι τὴν ἀθεότητα, τὸ δὲ, ὥσπερ ἐν ὑγροῖς, τοῖς ἁπαλοῖς τὴν δεισιδαιμονίαν ἐμπεποίηκεν· *Inscitia atque ignoratio naturae Deorum, jam inde ab initio in duos quasi rivos dimanans, ab unâ parte in duris ingeniis, tamquam in aspero solo, impietatem, ab alterâ parte in teneris ingeniis, tamquam in molli solo, superstitionem peperit.* Et mihi mollitudo ista per totam vitam haud scio an plus obfuerit, quam profuerit: in cognitione quidem divinae naturae, duritiei et

mollitudinis mediam firmitatem, id est, impietatis atque superstitionis mediam pietatem, philosophia demum me consectari docuit." — Quam verissime autem haec ab optimo viro dicta sint, ex ipsius vita et scriptis ubivis apparet.

Jam autem *quinto* semestri spatio Academico Wyttenbachius quadruplex sibi pensum faciebat. Primum denuo in scholas *Mathematicas* et *Logicas* veniebat: deinde his *Metaphysicam* et *Ethicam* adjiciebat. Sed Metaphysica ipsum capiebat totum, et captum tenebat. Hanc tradebat *Coingius* eâdem, quâ Logicam, perspicuitate ac suavitate, sequens auctorem *Wolfium*, ex cujus compendio primum tot paragraphos praelegebat, quot unum argumentum contineret, tum horum summam Latine dictabat, denique rem Germanice disserendo explicabat. Ita tunc quidam Professores Marburgi factitabant: caeteri tantummodo disserebant: Latine soli theologi, Germanice reliqui. Atque Wyttenbachius in scholis non sola dictata scribebat, sed ex dictis etiam, quae maxime ad rem pertinere viderentur, praecipua quaeque excerpebat: eaque continuo domi secum commentabatur, ut ad eorum commentationem recens memoria alias etiam disputationis partes, a se non excerptas, attamen minime negligendas, subjiceret. Deinde omnem illam materiam accurate digerebat, et lucide mundeque in peculiari libro describebat. Qui

liber postea ipsi adversariorem instar fuit, in quorum margine tam suas, quam aliorum de eodem argumento cogitationes, suo quasque loco, annotaret. Colebat autem Wyttenbachius Metaphysicam veluti Deam Minervam, quae ipsi caecutienti adhuc mentis oculum prima aperuisset, et a rebus corporeis ad aeterna earum exempla convertisset, unde materiam sumeret, quam omni reliquae cogitationi, alias fluctuanti atque instabili, tamquam certum ac firmum fundamentum subjiceret: quae ipsum porro, caligine dispulsa, res divinas et humanas cognoscere ac dignoscere doceret, ac disjectis vanae superstitionis terroribus animum in libertatem asséreret: ad quam, ut ille canit,

Diffugiunt animi terrores; moenia mundi
Discedunt, totumque vides per inane geri res:
Apparet Divûm numen, sedesque quietae.

Erat autem Wyttenbachius illo tempore catechumenus, et mox sacrae coenae mysterio initiandus. Studium igitur Metaphysicae multum valuit apud ipsum ad confirmandam religionem Christianam, characteribus patefactionis, sive revelationis, uti vulgo dicitur, divinae significandis, auctore ipso Wolfio: cujus argumentis Coingius, quemadmodum ex ejus dictatis intellexi, alia addere solebat, quibus efficeretur, ad sapientiam et vitam beatam non satis esse praesidii atque momenti in solis ingenii humani viribus, sed

extraordinarium insuper desiderari ac divinum lumen et auxilium, idque unice in religione Christianâ positum esse, siquidem Metaphysicae modo sit monere, Theologiae vero demonstrare. Atque eâdem de causâ Coingius etiam aliis in locis Wolfii sententiam deserebat. Sic v. c. praeter alia dictitare solebat, *Wolfii doctrinâ omnibus in partibus admittendâ* Regnum gratiae *omnino tolli.* Ita autem vocabatur illa pars divinae gubernationis, quâ Deus eorum hominum, quibus prae caeteris propitius esset, animos suâ ipse actione et instinctu moveret: quod non tantum antiquitus fecisset, sed adhuc quotidie faceret. Praeterea idem Coingius in Psychologia monebat, non omnia, quae de spectris narrarentur, ad fictas fabulas ableganda esse: nam et in libris sacris, et hodieque multa memorari, quibus fides omnino haberi deberet. Verum haec, aut alia hujus generis, pluribus persequi, nec libet, nec hujus loci est.

Sextum spatium Academicum quatuor habuit pensa, *Ethicam* atque *Metaphysicam* iterum, *Historiam Statuum Europae* et *Historiam Ecclesiasticam* primum. — In schola Ethicis minus placebat Coingius et satisfaciebat discipulo suo, certiores requirenti fontes, aptiorem partium consequentiam, uberiorem praeceptorum copiam et explicationem: quae quum certe exemplis historicorum poëtarumque illustranda esset, Coin-

gius unâ alteráque narratiunculâ, e medio sumtâ, contentus erat. Sed vel sic tamen veniebat Wyttenbachius assidue in ipsius scholas, atque interim domi doctrinam ipsam lectione optimorum librorum et meditatione commentabatur. Ut vero majores certioresque in rebus metaphysicis cognoscendis progressus faceret, e re suâ esse arbitrabatur audire quoque alterum professorem, *Pideritium*, qui doctrinam illam Coingio magis proprie et metaphysice, id est methodo analyticâ tradere dicebatur. Verum eventus exspectationi non respondebat. Nam magister, Wolfii compendium se interpretari professus, *Caramuelem Lobkovitzium* summum Metaphysicum celebrans, atque recentiorum Platonicorum more ad mysticas se contemplationes dans, in illas intelligibiles regiones ita vagabatur, ut Wyttenbachius eum amplius nec sequi posset, nec audire vellet. Quid igitur? Hoc ipse sibi domesticum fecit pensum, ut in hujus doctrinae commentationem totâ mente incumberet, si forte ejus tamquam Homericae illius χρυσῆς σειρᾶς *coelestis catenae* a divino principio ac supremo genere τοῦ ὄντος usque ad postremam speciem omnes annulos apte nexos cognoscere, aut ubi in compendio nexus vel omissus, vel temere obscureve significatus esset, eum reperiret, ac diserte declararet. Et non modo ipse reperiebat tunc complures rationes, quas nec postea provectior usu et aetate improbraret,

sed et docens discentibus probaret, verum etiam a patre, quoties ipsi aqua, ut ajunt, haerebat, in hoc studio adjuvabatur. — Denique scholis historicis quoque haud exiguam partem studii domestici tribuebat. Quod tamen ipsi, utpote institutionis disciplinâ Jaegeri jam Historiae Universalis cognitione haud leviter imbuto, non admodum difficile negotium erat.

Interim vero quaerebat adolescens majus quoddam spatium, in quo excurreret, atque magis certam ac perpetuam studii materiam, de quâ ipse mox aliquid conscriberet. Pater suadebat ei, ut Xenophontem vel Zosimum legeret, quos nimirum ipse juvenis legisset. Zosimum sumsit Wyttenbachius, ut minoris operae lectionem, eumque, duce parente, perlegit. At vero illâ lectione non contentus, et plura scire cupiens, fecit quod in promtu erat, rursusque in professorum scholas se contulit: quas hoc *septimo* spatio semestri quatuor sibi delegit, *Juris Naturae*, *Physicae*, *Antiquitatum Hebraearum*, et *Historiae Statuum Europae* iterum. Sed quamvis illas scholas non quidem nullo cum fructu tractaverit, tamen non eo cum studio iis intentus fuit, ut earum unâ prae caeteris colendâ egregiam sibi laudem quaerendam duceret. Minus etiam ipsi placebant *Antiquitates Hebraeae:* magis placebat ipsius *Codicis* lectio, quam hoc fere tempore, Judaeo magistro adjutore, ad finem perduxit.

Jam autem patri tempus adesse videbatur, ut filius rationem ejus studii ingrederetur, quod ad certum vitae genus sequendum, ejusque subsidia adipiscenda pertineret: quae studia vulgo sunt *Theologiae*, *Jurisprudentiae*, *Medicinae*; siquidem Literae Humaniores ac Philosophia ad horum subsidiorum copiam non satis frequentes ac locupletes habentur. Pater dudum Theologiam censuerat: et filius, etsi ab omni publico munere capessendo, et magis etiam a Theologiâ factitandâ abhorreret, nec tamen patri repugnare vellet, assentiebatur, intelligens rem aliter teneri non posse, atque illud Comici reputans, *Interea fiet aliquid*, *spero*.

Octavo itaque spatio, eoque ultimo, quod in Academiâ Marburgensi transegit, patrem ipsiusque collegam, dogmata religionis Christianae tradentes, audire coepit. Verum, ut fit, quae inviti facere coacti sumus, ea lubentes et volentes omni modo subterfugere solemus. Atque hinc quoque Wyttenbachius rarius in scholas theologorum veniebat, nec eodem discendi studio illis intererat, quo antea in philosophorum scholas ventitaverat. Parens hoc quidem animadvertebat, sed erat hac in parte indulgens, quod filius hanc negligentiam utilibus studiis diligenter compensaret: in quibus erat lectio dialogorum Aeschinis Socratici, quos aliquoties repetitos, singulorum verborum indice confecto, totos Latine vertebat: Latine scilicet, ut po-

terat, quod parum illud Latinitatis, quod per institutionem puerilem et scholas *Stili* collegerat, per alias scholas et lectiones inquinasset potius, quam auxisset. Caeterum vero collegam patris non probabat, ut tralatitiae auctoritati servientem. Hic v. c. institutionis suae initio divinitatem religionis Christianae demonstraturus, illud inprimis facere conabatur allatis verbis ex epistolâ Pauli Apostoli ad Timotheum II. c. 3. 16, ubi legimus: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Ex his verbis diversus exsistit sensus, retentâ aut omissâ particulâ καὶ, quae in plerisque adest libris, in haud paucis abest. Nam retentâ, vertendum, *tota scriptura divinitus est inspirata et utilis ad doctrinam, ad redarguendum, ad correctionem, ad institutionem, quae est in justitiâ*: ut fere Beza fecit. Omissâ vero, reddendum, interprete Erasmo, *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ*. Atque hoc posterioni sensu non scripturae θεοπνευσία, verum θεοπνευσίας utilitas asseritur. Utroque autem modo πᾶσα γραφὴ, judice ipso Bezâ, non ad Novum, sed ad Vetus Testamentum pertinet. Sed hoc minus curabat Wyttenbachius. Scripturam, uti professor volebat, pro utroque Testamento accipiebat, ut sensus esset: *at Vetus et Novum Testamen-*

tum divinitus esse inspiratum. At vero illud ipsi, non dicam in Logicis versato, sed vel communem sensum sequenti, mirum accidebat, utrumque adeo in Theologiâ migrari, ut ei, de quo judicetur, in suâ ipsius causâ, et de se ipso, testimonii dictio tribuatur. Ipsius parens hoc in loco aliter versabatur. Humanâ religione ex Metaphysicis repetitâ, hujusmodi argumentatione ad Christianam progredi solebat: » *Quum humana religio non satis valeat ad poenas malefactorum divinas effugiendas vitamque beatam comparandam, opus est divinâ religione: quam humano generi datam esse a Deo, hujus virtutes nos dubitare non sinunt, quippe creatoris ut omnium rerum, ita hominum, et eos amantis, et summe benigni: et quandoquidem multae feruntur apud multos populos religiones divinae, harum unam necesse est veram esse, quae habeat in se notas divinae originis et officia religionis*, id est characteres et requisita revelationis, ut in scholis loquuntur. *Atqui hae notae et officia sunt octo, et in solâ revelatione Christianâ manifesto exstant. Ergo revelatio Christiana et vera et sola vera est.*" In hac argumentatione certe ratio et via apparebat: singulae propositiones et assumtiones si quid haberent reprehensionis, hoc probabiliter in scholâ diluebatur: characteres divinae originis et religionis copiose explicabantur: illud porro scitum ac plausibile accedebat, quod dubitationes de miraculis ab historia et philoso-

phia profectae, quasi a priori, ad vivum resecabantur: tota demonstratio denique absolvebatur ad audientium approbationem et persuasionem. Quam filius, dum non erat, qui oppugnaret, mente perceptam firmiter tenebat.

Mox *Emanuel Salchlius*, juvenis ingeniosus et eleganter doctus, ex literatâ peregrinatione per Germaniam, Bataviam, Britanniam et Galliam factâ, Marburgum veniebat, et in paternâ Wyttenbachii domo aliquot menses divertebat. Pater ipsius, Professor Theologiae in Academiâ Bernensi, patris Wyttenbachii nostri nuper collega fuerat. Juvenis vero hicce erat fervidus et inquietus: eorum, quae probaret, effusus admirator; quae improbaret, acerbus irrisor; disertus sermocinator, jucundus narrator, acer disputator, audax pronunciator: talis nimirum tunc erat: recens a cognitione multorum hominum, nonnarum rerum plenus, eas apud amicos exprompebat, et libenter audiebatur. Ille, praeter alia, etiam narrabat, se doctorum virorum gravissima religionis naturalis capita acriter reprehendentium, colloquiis interfuisse, quibus se metaphysicas rationes opponentem risu confutatum esse; atque, *equidem*, inquit, *unam bonam poëtae sententiam pluris aestimo, quam totam metaphysicam*. Vix potuisset ille adolescens alio dicto in majorem parentis Wyttenbachii offensionem incurrere; qui indignans, et filium

intuens, *Istud*, ait, *adeo temere effutitum vel tu confutare potes.* Ad quae filius, *immo*, dixit, *se ipsum confutat.* Quum itaque ille talia non amplius, praesente patre, movere auderet, seorsum ad filium, *Pater tuus*, inquit, *aegre tulit, quod de Metaphysicâ dixi: et tamen vere dixi.* Tum Wyttenbachius, *enimvero, si vel maxime verum esset, intempestivum dictu fuit! nunc vero etiam falsissimum est.* Ille contra, *Agedum*, ait, *cum tuâ Metaphysicâ, responde ad hocce argumentum, responde ad illud:* atque ita deinceps alias ex aliis reprehensiones religionis et philosophiae, tum contemplativae, tum activae, a recentioribus adversariis, Cherburio, Tolando, Tyndalio, Wollastono et aliis multis celebratas, proponebat. Ad has respondebat Wyttenbachius, ut poterat: et ubi non posse videbatur, ibi illud semper et mordicus tenebat, singularem religionis vel philosophiae partem, quamvis reprehensam, tamen stare et manere, etiam tunc, quum reprehensoris crimina dilui non possent; propterea quod pars toto contineretur, neque cadere posset, nisi totâ doctrinâ cadente: atqui religionis fundamentum esse philosophiam, sed philosophiae metaphysicam, eique immotam et inconcussam firmitatem constare, a supremo genere entis ad notitias mundi, Dei, animi pertinentem uno et continuo vinculo aptam et nexam. In hanc vero rationem multas cautiones habentem inciderat per similitudinem illius modo

memorati argumenti a priori ducti ad probandam auctoritatem divinam religionis Christianae. Mox Salchlius rationibus Wyttenbachii alias rationes, exempla, comparationes et historica argumenta quidem opponebat, sed hic non cedebat illis, licet ad verum quaerendum sese excitatum sentiret. Ac quum ejusmodi disputationes ipsis saepius fuissent, illo domum redeunte, ita discesserunt, quasi suam uterque retineret opinionem; si quidem neuter animadverterat, se ad alterius rationem paulo inclinatiorem factum esse. Quod tamen postea utrique apparuit. Wyttenbachio enim deinde secum cogitanti argumenta illius minus falsa videbantur, quam antea refellenti, ipsumque in eam viam sensim converterunt, quâ ex isto opinato scientiae vinculo aliquantum remitteret: atque Salchlius aptior dialecticae diligentiae, firmaeque scientiae studiosior, Marburgo ad suos rediisse postea sibi visus est.

Interea autem scholarum habendarum tempus praeterierat, nec Wyttenbachius magnopere quidquam in rebus Theologicis profecerat. Maximam diei partem isto semestri spatio domi occupatus fuerat cum in retractandis disciplinis, quas in professorum scholis antea percipere coeperat, tum vero etiam in legendis et Latine vertendis quorumdam Graecorum scriptorum libris. Quod quum ad notitiam condiscipulorum atque aliorum amicorum pervenisset, nonnulli ex iis, qui sese

bonos consultores putarent, ut ipsum ab hujus studii intentione abducerent, et ad graviores disciplinas adducerent, partim aliis quidem rationibus utebantur, partim vero etiam istis, ut dicerent, aliam aetatem postulare alios mores et alia studia, antiquasque literas cum in verbis, non in rebus occupentur, pueris quidem esse decoras, viris non item, nec eas animo certum et permansurum scientiae fructum, sed tantummodo inanem ac brevissimi temporis delectationem afferre. Quod parens, qui ipse in juventute sua literas antiquas coluerat, et de earum pretio rectius judicare solebat, neutiquam ferre poterat. Immunis ab omni praejudicata opinione, et probe sciens, nullam artem habere osorem, nisi ignorantem, longe aliter et sentiebat, et agebat. Primum istos reprehensores refellebat cum objiciendis nominibus Platonis, Ciceronis, Plutarchi, et aliorum, quorum si quis scripta bene legisset, non exiguum scientiae fructum collegisse sibi censeri deberet, tum recensendis magnorum virorum exemplis, qui majorum, patrum et sua aetate hic illic antiquarum literarum studio viam sibi ad graviorum disciplinarum scientiam patefecissent. Deinde vero, quod caput rei erat, facilem et indulgentem hac in parte filio sese praebebat. Videns scilicet, ipsum aegre et difficulter, nec nisi cum taedio, ad studium Theologicum traduci posse, atque Literarum, inprimis Graecarum, amore ferri, non modo

eum ad illud laudis iter strenue persequendum adhortabatur, verum etiam, quantum poterat, partim consilio, partim operâ suâ adjuvabat. Verissime igitur scripsit *Bangius* de indulgentiâ patris Wyttenbachii erga liberos suos agens: » *Indulgentem adversus hos maxime fuisse, non una vincit ratio; sed est illud fere de genere hoc praecipuum. Filium natu majorem quamquam theologiae factitandae destinasset, tamen cum impetu eum cerneret majore in literas ferri elegantiores, monumentaque Graeciae, atque maximos in his facere progressus, non solum non auctoritate suâ interponendâ revocavit a cursu, sed etiam ad perseverandum hortatus, consiliis adjuvit ad eam rem accommodatis.*"

Venio igitur nunc ad illud tempus, (1764) quo *literata*, ut ita dicam, Wyttenbachii vita demum reapse initium sumsisse censenda est. Nam etsi antea in cognoscendis doctrinis haud leve studium posuerat, tamen videmus ipsum modo hanc, modo illam disciplinam tractasse, neque ad unam aliquam eo consilio animum applicuisse, ut aliquando in illâ quasi vitae tabernacula collocaturus esset. A Literis ad graviores disciplinas accesserat, ut amator amatam aegre relinquens, respiciens, et omnes vel brevissimos reditus captans. Nam a puritiâ magno Literarum, praecipue Graecarum, amore percussus, semper illarum scholarum discipulos beatos praedicaverat, magistros ut homines supra mortalem sortem evectos ve-

nerátus erat, et quemvis fere librum Graecum ut templum arcano sapientiae cultu sanctum atque religiosum, ipsi adhuc quidem occlusum, mox autem initiato recludendum, adoraverat. Qui profecto enthusiasmus multum apud ipsum valuit ad perfringenda claustra, quibus janua templi obserata erat, id est, ad superandas difficultates, quibus illo vel tempore vel loco elementorum Graecorum institutio conjuncta erat. — Quum itaque nunc optimi parentis indulgentiâ tam ingratum discidium diutius ferre ipsum non amplius oporteret, statim quoque ipse se in libertatem asseruit, et ipse se in sinum veterum deliciarum numquam postea divellendus conjecit, *alucinarique* omnino desiit. Hoc enim est ἀλύειν, affectus eorum, *quibus*, quod vulgo dicitur, *tempus longum fit*, h. e., qui non habent quod agant, et negotii inopiâ et otii impatientiâ torquentur, cujusmodi quid Horatius dixit, *Ut nox longa, etc.* Sed hoc veluti ἐν παρόδῳ. Ipse, quo animi statu tunc temporis fuerit, testatus est, ubi ait: » *Duodevicesimum agebam annum: in Graecis Literis fere eo eram gradu, quo vestrum plerique estis quarto mense, postquam scholis meis interesse coepistis. Frequentaveram lectiones Professorum cum in Literis, tum in gravioribus, ut vocantur, disciplinis, nullo magnopere cum fructu; videbar aliis profecisse, mihi non item: poenitebat me operae: quaerebam spatium, in quo altius evolarem: redibam ad disciplinas, meoque ipse studio eas retrac-*

tare instituebam; et sane aliquanto longius progrediebar, quam quo in Professorum lectionibus perveneram: sed nihil ad spem et exspectationem meam: discedo cum taedio: ab alia deinceps ad aliam disciplinam accedo: eadem repulsa, idem taedium. Et tamen, veluti fastidientis stomachi morbo, certum animi pabulum quaerere pergo. Venit in mentem voluptatis, quam puer in Graecis percepissem: requiro libros quondam lectos: depromo ex angulo illum, Plutarchi nomine inscriptum, de Puerorum Educatione libellum: lego et perlego: operae multum, suavitatis parum. Hinc Herodianum repeto: paulo major suavitas: nil ad explendum animum. Aliunde, idque casu, nanciscor, Xenophontis, quem adhuc non nisi nomine noram, Memorabilia ex Ernesti editione: mirabile dictu, ut continuo me ceperit nescio quid suavitatis; quod, quale esset, postea magis intellexi. Hoc opus ita legi et commentatus sum, ut numquam ad sequentem accederem sectionem, nisi priore relectâ: numquam ad novum caput, nisi capite priore relecto: numquam ad novum librum, nisi superiore libro iterato: denique toto libro finito, totum denuo uno tenore perlegi opus. Hic fere trium mensium fuit labor, vel sola repetitione fructuosissimus." Legitur in fine cujusdam libelli, cui inscripsit Wyttenbachius tunc temporis vocabula sibi incognita et elegantiores dicendi formulas, hocce ipsius juvenis manu scriptum: *Inceptum d. 28 Jan. 1765, decies circiter lectum*

et relectum, et ad finem perductum d. 5 Aprilis 1765. S. D. G. —

Quâ lectione igitur quum haud contemnendam Graecae orationis facultatem sibi acquisivisset, atque ex animadversionibus Ernesti aliquam quoque interpretandi rationem adeptus, et librorum notitiâ quodammodo imbutus esset; hoc sibi ipse pensum constituit, ut Graecos scriptores deinceps legeret, atque Graecarum Literarum scientiâ uteretur tamquam fundamento, cui deinde aliarum doctrinarum tractationem superstrueret. Atque si vere judicarunt Hemsterhusius et Ruhnkenius, *praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis imbuamur Literis*, certe Wyttenbachius censendus est naturae bonitate et ingenii solertiâ suâ ad literarum principatum rectâ ratione contendisse, quippe qui prius Graecorum, quam Latinorum, praestantissima opera quaeque perlegerit. Sed quandoquidem hanc vitae Wyttenbachianae partem, quam in domo paternâ Marburgi legendis scriptoribus Graecis transegit, non facile quis melius et accuratius nobis describere queat; quam quidem ipse fecit; profecto haud alienum mihi videtur, hoc loco ipsius verba referre:

» *Accessi*, inquit, *ad Homerum, cujus puer ex primo libro Iliadis centum circiter versus didiceram: hunc librum eâdem, quâ Xenophontis Memorabilia, iteratione, duobus mensibus*

absolvi. — Progrediebar in Homeri lectione, ut necessariâ magis, quam jucundâ: nondum illam ingenii divinitatem agnoscebam: quod item plerisque adolescentibus accidisse novi. — Ergo Homero comitem adjunxi Xenophontem, ita ut in hoc multo plus temporis collocarem: hunc devorabam, quippe jam intellectu facilem: raro ad Lexicon descendere cogebar: pleraque omnia e nexu videbam: accedebat Latina versio, utile sane illi aetati negotium, scholis non item. Reliqua omnia, exceptis Memorabilibus, opera Xenophontea, quater legendo, quatuor confeci mensibus."

Haec autem ab optimo viro verissime scripta esse, item mihi constitit e libello quodam, quem inter chartas ipsius inveni, quique continet vocabula Graeca Xenophontis. In illo enim haec leguntur: *Cyropaediam legere coepi die 21 Aprilis A. 1765, et, exceptis Memorabilibus, reliquorum operum lectionem finivi proximo hoc mense Augusto.* Sed videamus reliqua.

Jam putabam, (ita pergit) *nullum superesse scriptorem, quin mihi apertus pateret. Accedo ad Demosthenem: habebam exemplum sine Latinâ versione, cum notis item Graecis Hieronymi Wolfii: merae tenebrae! Sed didiceram non absterreri in primo aditu: pergo: majores quam usque antea difficultates, cum in verbis, tum enunciationum longe ductarum ambitu: primam Olynthicam magnâ cum aerumnâ ad finem perduco: finitam relego semel et iterum:*

plana et perspicua omnia: desidero tamen celebratam illam eloquentiae vim: dubito utrum ad secundam orationem progrediar, an hanc repetam: placet repetere. O salutare repetitionis consilium, nec unquam satis praedicandum! Ecce denuo relegens; novus plane et incognitus ad animum meum accidit sensus. Adhuc in aliis auctoribus intelligentia non nisi delectationis mihi voluptatem attulerat, cum ex rerum verborumque perceptione, tum ex progressuum meorum animadversione: nunc inusitatus et plus quam humanus affectus mentem permeat, et quavis lectione invalescit. Video oratorem ardere, dolere, impetu ferri: incendor et ipse, eodemque motu auferor: altior fio, nec sum qui fueram: videor mihi Demosthenes ipse esse, stans in tribunali hanc orationem habere, Atheniensium concionem ad majorum virtutem et gloriam hortari: nec tacitus lego, ut inceperam, sed altâ voce; ad quam tollendam imprudens inducor, cum sententiarum evidentiâ et fervore, tum numeri oratorii efficaciâ. Ad hunc modum trimestri tempore plerasque tum legi Demosthenis orationes; indeque excitatus, ad sentiendi facultatem, jam et, Homero magis delectabar, quem mox finivi; et deinde in optimis quibusque auctoribus cum veriore cognitionis fructu versabar."

Finitâ Demosthenis lectione, ad alterum Socraticae suavitatis fontem, ad Platonem, accessit, cujus studio tam δαιμονίως capiebatur, ut illi legendo non tantum omne tempus

impenderet, verum animadversiones etiam in plerosque Dialogos conscriberet, quasi scholas in Platonem habere sibi proposuisset. Atque uti olim parens *Xenophontis insatiabili dulcedine captus, Leunclavia ae editionis compagem solverat, quo facilius in Alpes, quotiescunque eo in paterna praedia excurreret, singula folia secum efferre posset;* sic nunc jam filius, per viridaria Marburgensia obambulans, folia Platonis secum portare solebat. Suaviter omnino haec ipse descripsit in illâ amoris plenâ Epistolâ ad Clar. *Heusdium*: » *Mihi vero*, inquit, *nostri sermones saepe in memoriam revocarunt adolescentiae meae tempus, quo ille* (divinitatis Platonicae) *in animo meo sensus et recentior et acrior vigebat: quem nunc usus et aetas vel refrigerarunt, vel ratione coërcuerunt. Ego vix dum adolescentiam ingressus eram, quum mirificus me caperet et quasi δαιμόνιος amor Platonis: cui legendo quum omne meum tempus impenderem, tum inprimis otia captabam, quibus per anni tempestatem in sylvas montesque excurrerem, et* nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae, *promerem, non ut ille*, veteris poculа Massici, *sed librum Platonis, in ejus me lectionem conjicerem ac penitus demitterem. Ibi tum fieri solebat, ut, quemadmodum ipse in alto editoque positus, in circumjacentia infra me loca veluti parva et humilia prospiciebam, sic Platonis genio repletus purior leviorque in coelestes regiones sublimis*

evolare viderer,

Ut mihi jam summam sapientia panderet arcem,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possem contemnere curas."

Sed Ruhnkenii animadversiones in Timaei Lexicon Vocum Platonicarum ad hoc studium alendum et dirigendum Wyttenbachio maximam utilitatem attulerunt. Hoc ipse, quo erat animi candore et ingenuitate, disertis verbis testatus est. Quod quale fuerit, quum haud injucundum fore opiner, ipsis Wyttenbachii verbis cognoscere; non possum facere, quin illa apponam:

» *Familiaris meus et amicus, J. M. Hassenkampius, ad me veniens libellum adfert, de cujus nec auctore nec editore adhuc vel in libris legeram, vel fando audiveram*, Timaei Lexicon Vocum Platonicarum cum animadversionibus Davidis Ruhnkenii. — *Ego libellum ut in manus accipio, ita evolvo: miror commentarios amplos et eruditos, quales numquam videram: quaero voces mihi notas, et a me meis in animadversionibus tractatas: paucas invenio: sed quas invenio, eas video ejusmodi ratione expositas, eâ luce illustratas, qualem quantamque non cognoveram. Tum vero intelligere coepi, non solum per se ipsam fructuosam esse Platonis lectionem ad mores, animum, ingenium, orationem, disserendi elegantiam, interiorem Philosophiae et Literarum Graecarum cognitionem: sed vero longe fructuosissimam ad omnes posteros et Graecos et*

Latinos scriptores recte intelligendos, quippe per hos omnes et per universum antiquarum doctrinarum orbem longe lateque diffusam. Inde per complures deinceps annos Timaei Lexicon mihi fuit enchiridion, quod e manibus numquam ponerem, cujus mihi tamquam instrumento Platonis cognitionem patefacerem. Nam hujus acriori in dies studio incitabar, ut eum jam non solum animi sensu amarem, sed ratione judicioque diligerem. Ruhnkenium autem et amabam, propter communem Platonis amorem, et diligebam propter doctrinae fructum ex ejus Timaeo perceptum: Ruhnkenium dies noctesque cogitabam; Ruhnkenium in oculis ferebam: Ruhnkenium, ut unicum doctorem et alterum parentem, colebam ignotus, et subinde legens ejus animadversiones, cogitationi ipse meae indulgens, coram cum eo colloqui mihi videbar, mox a mentis errore ad me rediens illud usurpabam:

Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?"

Platonis lectione ad finem perductâ, non solum alios principes cum ligatae, tum solutae orationis scriptores deinceps legere coepit, sed id sibi praecipue proposuit, ut primo quoque tempore ad Ruhnkenii notitiam se proferret, quem unum in primis spectabat et cogitabat. Primo igitur sumsit *Julianum*, *mox Plutarchum*, *aliosque illius aetatis Philosophos et Rhetores*, *quos ex Antiquis*, inpri-

mis Platone, emendaret, exemplo ipsius Ruhnkenii in animadversionibus ad Timaeum proposito. Quo in studio quum usque in mensem Augustum anni 1768 assidue occupatus fuisset, et saepius animadvertisset, se multis subsidiis destitutum esse, quae Marburgi omnino sibi comparare non posset; nihil magis e re suâ fore judicabat, quam ad Clar. *Heynii* consuetudinem pervenire, eumque sibi conciliare. Itaque rogavit patrem, ut Goettingam proficisci, ibique ad consilium suum cum laude ac fructu perficiendum Literis porro operam dare sibi liceret. Hanc veniam liberalitate parentis haud difficulter impetravit. Ergo mox Goettingam abiit, et Heynium adiit. Hic autem egregius vir juvenem non modo benevole et comiter recepit, omnique librorum supellectile instruxit, verum etiam ipsum tum consilio saepius adjuvit, tum adhortatione Graecarum Literarum amorem ipsius mirifice auxit, atque sumtis quasi proxenetae partibus aditum ipsi ad Ruhnkenium aperuit.

Proximo itaque anno 1769, die 31 Martii, edidit Goettingae studiorum suorum primitias, *Epistolam Criticam* ad Vir. Cel. Davidem Ruhnkenium, *super nonnullis locis Juliani Imp., cui accesserunt Animadversiones in Eunapium et Aristaenetum.* Sed audiamus potius ipsum de hac vitae suae parte suavissime narrantem:

» *Goettingam veni, operaeque pretium feci, cum legendis Graecis scriptoribus Scriptorumque editionibus iis, quibus adhuc aegre caruc-*

ram, tum vero etiam conciliando meis studiis Heynio: qui, quum consilium ei aperuissem meum, me currentem incitavit, narrans quid ipsi officii gratiaeque cum Ruhnkenio intercederet: addens, se per literas meum ei libellum commendaturum: idque mox praestitit. Caeterum Ruhnkenius et nondum viso meo libello, ad literas meas humanissime respondit: et accepto lectoque, adeo mihi amanter scripsit, adeo ad laudem honorifice, adeo omni meâ spe, opinione, merito, cumulatius, ut nil supra esse posset. Saepe in memoriam redeo ejus diei, quo die has accepi literas: ut eas legi, relegi, exosculatus sum: ut me per complures dies insolitus quidam nec stupori dissimilis, fatebor enim, placidae voluptatis affectus tenuit. Nec mirum. Diuturnâ quatuor annorum exspectatione, subito solvebar. Neminem adhuc habueram, qui meam operam agnosceret: paucos parcosque laudatores: multos mei studii reprehensores, ut inutilis ad vitae usum: omnem spem reposueram ad illud tempus, quo meam operam Ruhnkenio, Valckenaerio, horumque simillimis viris probassem, hujusque laudis exspectatione omnem et laboris mei aerumnam et imperitorum reprehensionem toleraveram. Nunc exspectatum illud tempus aderat, et uberrimum laudis animique fructum afferebat."

Jam autem, ut eo melius percipiatur, quam justa illa laetitia fuerit, quâ Wyttenbachius, acceptis Ruhnkenii literis sese perfusum fuisse testatur; operae pretium erit, hoc loco illarum literarum exemplar proferre:

» Lectus a me libellus tuus exspectationem, quam de eo Heynius noster fecerat, multum superavit. Nam, ut vere dicam, vix putabam, in Germaniâ esse, qui tantum in hoc genere saperet, et tantam Graecae linguae scientiam cum verâ critices ratione conjungeret. Miror lumen ingenii tui, quod ex tot egregiis conjecturis elucet, sed multo magis miror rectum, in illâ praesertim aetate, judicium. Ex his non fallacibus signis auguror, te, si eumdem cursum tenueris, magnum aliquando Literarum nostrarum decus et praesidium futurum. Tu solus nimis demisse sentire videris de tuâ in his literis facultate. Verum scias, quod Quintilianus in simili re dicebat, eum in Graecis Literis multum profecisse, cui Plato valde placeat." D. 11 Julii M. DCC. LXIX.

Caeterum jam antea Wyttenbachius amabat in historiis celebratos Batavos, quippe qui item ut Helvetii se ex tyrannide in libertatem armis ac fortitudine vindicassent, itemque in paucis liberâ republicâ fruerentur. Sed hoc tantummodo ad animi conjunctionem valebat. Nunc vero ingenii conjunctio accedebat. E Batavis alebat Wyttenbachius institutum iter: e Batavis inchoatum opus augebat. Paulatim majorem bonorum librorum notitiam sibi colligens, meliores Veterum editiones Batavas esse videbat, et meliores eorum interpretes ab harum rerum idoneis judicibus Batavos merito censeri sentiebat. Ex his igitur lucem ac rerum scientiam petebat: viros antea vix

fando et nomine sibi auditos ex ipsorum cognoscebat operibus, cum alios, quorum longum est nomina recensere, tum maxime cum ipsius studiis conjunctos, Scaligeros, Gronovium, Perizonium, Heinsterhusium, Dukerum, Wesselingium, et duos scholae Hemsterhusianae principes, tunc viventes ac florentes, Valckenaerium et Ruhnkenium. Horum scripta quotidie pervolvens, animadvertebat, quantis ex tenebris quantam lucem accendissent, ac quantum elegantia, ingenio et doctrina sexcentis aliis praestarent.

Quo magis vero Wyttenbachius in doctrinarum percipiendarum studio progrediebatur, et quo magis quotidie ex Batavorum libris proficiebat, eo vehementius in dies cupiebat Batavos, inprimis duumviros celeberrimos, Ruhnkenium et Valckenaerium, utpote praecipuos progressuum et incrementorum suorum autores, propius cognoscere. Hoc unum fere diurnis nocturnisque precibus ac votis ab immortali Deo precabatur, ut illos doctores vivos et praesentes aliquando videre et audire sibi concederet, saepissimeque secum tacitus usurpabat illud,

O mihi si sunnium sapientia panderet arcem!

Interim Heynius Wyttenbachii in discendo assiduitatem admirans, et doctrinae copiam ejus magni aestimans, ipsi suadebat, (praesertim quod sibi proposuisset vitae tabernacula in Literarum Humaniorum studio collocare) ut ne alteram earum dimidiam partem,

Literas Latinas, praetermitteret, sed illis quoque operam navaret. Nam animadverterat vir doctissimus, Wyttenbachium cognitione harum Literarum modo leviter imbutum esse. Quod ipse Wyttenbachius septem et viginti annis post, de studiorum suorum initiis agens, minime dissimulavit. » *Si quaeratis*, inquit, *quis mihi illo tempore modus fuerit Literarum Latinarum, in Graecis versato? pudet profiteri. Nihil habebam nisi ex puerili disciplinâ, quae mihi cum decimo quarto anno finita erat. Nil Ciceronis nisi pauca ex Officiis capita, magno cum taedio tractata; quippe non intellecta: Phaedrus, Curtius, Justinus: et quae optima operae pars erat, aliquot Nepotis vitae, Virgilii Georgica, Aeneidis dimidium. Hoc quantulum est? et totum fere in oblivionem abierat.*"

Jam igitur, etsi erant qui dicerent, Latinis Literis ipsi, Graecarum perito, non opus esse, tamen Heynii consilio potius obsequendum, quam istorum dictis aures praebendas statuebat. Primum ad Terentium accedit: cujus primus aditus ipsi non facilior erat, quam antea Demosthenis fuerat. Verum unius mensis pertinax studium expeditam reddebat viam. Tum pergit ad Latinorum principem Ciceronem. Quid tunc sibi evenerit, nobis his ipse verbis refert: » *Editâ Epistolâ ad Ruhnkenium, non nisi Graecos legeram scriptores, ab iisque tum recens ad Latinos et principem Ciceronem accedebam. Qui me continuo insolitâ quadam*

difficultate, ut putabam, et austeritate, certe a se ad alios avertebat. Forte accidit eodem tempore, ut ex auctione nanciscerer exemplum Mureti, sordidum quidem chartâ et typis, priorum etiam dominorum usu detritum ac paene lacerum: quod ego ut accipio, ita inspicio; et primae statim orationis, in quam casu incidebam, exordio sic ei moveor et teneor, ut eam nisi perlectam de manibus non deponerem. Quâ in lectione memini mihi plane idem accidisse, quod antea in Demosthenis mihi lectione acciderat, ut incalescerem et impetu orationis auferrer ad eam inter legendum altâ voce recitandam. Deinceps, omnia hujus scripta legens, paulatim cum Cicerone in gratiam redeo: qui mihi jam nihil nisi suavitatem et lucem offerebat, ad eam quasi magna mysteria percipiendam, parvis Mureti mysteriis praeparato." — Cum hoc autem loco conferri meretur alius, ubi de Mureto ipsisque scriptis haec leguntur: „*Equidem saepe animadverti, homines, qui primum ad Ciceronis lectionem accedunt, magis capi ac delectari scriptis Mureti et similium; non quod horum oratio minus Latina, ideoque facilior sit: sed quod ratio materiaque nostrae aetati nostrisque ingeniis magis aptae sunt. Horum nos lectio, quasi blandâ manu, ad Veteres ducit: estque veluti epibola, seu gradus et aditus, ad Veteres, sed purus ille castusque, unde nil sordium ad ipsa eorum sacraria afferamus. Certe, si quid ego ad scribendi facultatem profeci: quod, pro rei*

magnitudine, exiguum esse, non ignoro: sed si quid profeci, hoc magnam partem debui lectioni operum Mureti: quae me adolescentem mirâ suavitate deliniebat, exemplis augebat, et ad Ciceronem alliciebat."

Quodsi vero quaerimus, cur Ciceronis scripta, inprimis philosopha, Wyttenbachio parum placuerint initio, ipsumque austeritate quadam suâ, uti putabat, a legendo primum ita absterruerint, ut non nisi post lecta deinceps Mureti opera cum Cicerone in gratiam redierit; omnino fatendum est, hujus rei causam magis sitam fuisse in praejudicatâ quadam opinione, quam adolescentulus in scholis philosophorum conceperat, quam quidem in ipso Cicerone, hujusque orationis difficultate aut obscuritate. Testem rursus habeo ipsum Wyttenbachium, quo loco alios praemonet, ut sibi caveant, ne in eumdem errorem temere incidant, quo ipse diu captus fuerit. Quem locum, quamvis prolixiorem, in gratiam Literarum studiosae juventutis totum tamen hic apponam:

» *Atque hoc*, inquit, *loco non possumus silentio praeterire, qui nos error diu tenuerit: si forte nostrum exemplum aliis prodesse queat. Ex Ciceronianis libris omnium primi a nobis lecti sunt illi, qui sunt de officiis: consuetudine tam perversâ, quam pervulgatâ. Eramus tum pueri: id est, eâ aetate, quâ horum librorum vim ac praestantiam minime perciperemus, verba verbis redderemus; nec hoc quidem sine summo taedio,*

quod res ipsas non intelligebamus. Itaque factum est postea, ut quo plus suavitatis caperemus legendis Poëtis et Historiois, qui sine dubio magis accommodati sunt puerili ingenio, eo minus jucunda nobis accideret recordatio librorum de Officiis. Tum contemtus etiam oriebatur reliquorum omnium Ciceronianorum de Philosophia librorum: qui quidem in dies augebatur hominum judiciis, quorum apud nos multum valebat auctoritas. Huc accedebant decreta Doctorum atque Professorum, qui ex cathedrâ saepius Ciceronem ridebant, exagitabant, condemnabant. Hi scilicet omnia demonstrabant, ut quidem sibi et discipulis videbantur: Cicero et veteres hanc egregiam demonstrandi artem non noverant, tantum declamaverant. Coepimus tum nobis persuadere, nullo alio consilio Ciceronem nobis pueris in manus datum fuisse, quam ut Latine disceremus. Quamquam non recordabamur, nos ejus lectione quidquam ad Latinae orationis facultatem profecisse. Nec mirum: verba sine rebus tradita memoriae efluxerant. Veruntamen dicebamus, alii sunt a Cicerone de Philosophiâ scripti libri, praeter illos de Officiis: sunt Academici, Tusculani, et de Finibus Bonorum et Malorum. Haec nomina quid sonarent, quidque sibi vellent, ne suspicabamur quidem. Sed ecce! est etiam de Naturâ Deorum. Erit hic sine dubio compendium vel systema Theologiae Naturalis? Age legamus! Exordium elegans et grave: sed tamen certa principia, axiomata et definitiones

mallemus. Pergamus! Vellejus Epicuri sententiam explicat: refellit eam Cotta. In hocine refutandâ opinione totus liber consumendus erat, quam quilibet unus ex nostris philosophis uno ictu profliget? Videamus secundum librum. Balbus Divinam esse Naturam demonstrat? Immo vero vult, nec potest! Neque enim est argumentum a priori, neque etiam argumentum a posteriori se nobis offert. Itaque hunc librum non totum perlegamus; nam, quod inter nos dicere liceat, difficilis est ad intelligendum. Accedamus ad tertium! Quid? Cotta disputationem Balbi reprehendit, dicit quid ei in eâ placeat, quid displiceat. Ciceroni Balbi sententia versimilior videtur. Ubi Mathematica methodus? Nostri quidem philosophi primum axioma ponunt, tum definitionem, deinde postulatum, tum theorema, denique addunt demonstrationem. Ergo abjiciebamus tum Ciceronem, cum obcaecati hac evidentiae Mathematicae opinione, tum rudes a linguae cognitione et ab Academicae rationis usu. Omnino saepius hoc postea cognovimus, hominibus etiam acutis atque haud indoctis, sed adsuetis scholasticorum compendiorum jejunitati, elegantem illam, quam Cicero sequitur, Socraticorum colloquiorum rationem placere non posse. Ceterum haec tantopere laudata, et ab hodiernis in Metaphysicam inducta vis Mathematicae rationis nescio quomodo paulatim apud nos evanescebat, et minus minusque sensum nostrum percutiebat: illam invictam cogendi vim non amplius sentiebamus:

aliud semper requirebamus. At hoc quid tandem rei est? In Mathematicis quidem post demonstrationem nullum amplius subnascitur dubium: in Metaphysicis non item. Tum denique excussimus hanc fallaciam, cognovimusque hanc demonstrationem ludibrium esse ac larvam, nec magis pro Mathematicâ evidentiâ habendum, quam in theatris pro vero Hercule habemus histrionem parvo et exili corpore, quamvis se in leoninâ pelle et clavâ jactet. Postea factum est, ut in Xenophontem ac Platonum incideremus, quorum scriptis egregia illa et divina prorsus Socratica ratio consignata est. Hanc deprehendimus pauca quidem affirmare; sed, quae semel affirmasset, eo certius tenere: omnino eam unam verissimamque disciplinam esse Philosophiae, maximeque accommodatum humano ingenio: quippe quae veri indagationem a simplicissimis, minimeque dubiis naturae initiis duceret, et nos ipsos nobis cognoscendos daret, cuilibet sententiae suum pretium statueret, ac philosophantes erroribus et purgaret, et ab iis tutos praestaret. Itaque hujus rationis veritate subtilitateque capti, cum Cicerone in gratiam rediimus. At quam diversus, et longe alius atque antea, tum nobis videbatur. Omnia non tantum suaviter, sed caute, accurate, et utiliter eum scripsisse intelligebamus. Sed tamen illa praejudicata de Officiorum libris opinio, ut tenerrimâ aetate suscepta erat, ita difficillime deponebatur. Nam cum, post excussos alios adolescentiae errores, hos libros aliquoties legissemus, semper adhuc

aliquid ex veteri errore remanebat; ut non dubitaverimus alicubi concedere reprehensoribus istis, qui dicerent, doctrinam de Officiis non accurate et vere a Cicerone traditam esse.. A quâ nunc sententiâ tantum absumus, ut nobis hi libri, cognito eorum consilio atque instituto, omnium maxime diligenter conscripti videantur."

Perlectis mox praecipuis operibus Ciceronis, ad alios deinceps cum Poëtas, tum Historicos legendos animum appulit; et unus annus ipsi Latinas patefecit Literas, idque ita, ut quocunque ingrederetur, *Graeca vestigia agnosceret, res, dictionem, sententias in alienum solum translatas.*

De ipsius progressibus in Literis Latinis locupletem habemus testem Ruhnkenium, qui ad ipsum circa hoc tempus haec scripsit: » *In Literis Latinis quantum proficias vel literae tuae ostendunt, quibus nego quidquam elegantius et magis Latinum scribi posse.*"

Interea enim temporis, suasore inprimis Clar. Heynio, epistolarum inierat commercium cum duumviris Batavis, quorum scripta diurnâ nocturnâque manu versabat. Praeterea sigillatim cum Ruhnkenio non tantum communicaverat, quis vitae et studiorum suorum cursus hucusque fuerit, verum etiam quam incredibili cupiditate flagraret veniendi Leidam, seque et ipsi et Valckenaerio in disciplinam tradendi. Quae epistolae quam gratae et acceptae binis illis Academiae Lugduno Batavae clarissimis doctoribus fuerint, non aliunde

certius constare potest, quam ex utriusque datâ ad Wyttenbachium epistolâ, cujus exemplar subjiciam:

PRAESTANTISSIMO VIRO JUVENI, D. WYTTENBACHIO,

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

„Ex literis tuis vidi, idem tibi usu venisse, quod mihi adolescenti. Nam me quoque parentes Theologiae destinabant, et, quibus poterant modis, ab elegantiorum Literarum studio revocabant. Ego vero, naturam ducem secutus, iis invitis, in Belgium abii, ut me in Hemsterhusii disciplinam darem. Eventus postea docuit, me, quamvis adolescentem, plus vidisse parentibus meis, idque ipsi, cum me cathedrae Leidensi impositum viderent, magno cum gaudio fatebantur. Equidem cum non dubitem, quin pater tuus, vir doctissimus, et, quod te talem procreavit, felicissimus, aliquando simile gaudendi argumentum habiturus sit; maximo te opere moneo et hortor, ut praeclarum illud bonarum Literarum studium, posthabito Theologico, a quo te alienum esse scribis, persequaris. Praemia virtuti tuae ne desint, ego et Valckenaerius curabimus. Sed unum adhuc annum necesse est, paternâ liberalitate Leidae sustenteris, tum, ut interea linguam et mores Belgarum cognoscas, tum ut aliquam ex lectionibus nostris utilitatem capias. D. V. Sept. M. DCC. LXIX.“

DOCTISSIMO ADOLESCENTI, D. WYTTENBACHIO,

S. D.

L. C. VALCKENAER.

» *Valde mihi jucundae acciderunt literae, quas ad me mense Octobri dedisti: et fortasse gratiores etiam fuissent, si titulis, in me supra modum ornando, nimis ambitiosis abstinuisses. Non nescio, praestantissime juvenum, morem hac in parte te superioris Germaniae secutum: sed, qui in hac inferiore degimus, siquidem sapere didicimus, nostro nos modulo metimur. Meos etiam libellos legenti suspicor accidisse tibi, quod fieri solitum scribis in initio perdoctae tuae ad Clar. nostrum Ruhnkenium epistolae: atque adeo tuam sic, opinor, benevolentiam significatam voluisti, quam ego sane gratus agnosco talis juvenis, quem summe Reverendo Patri tuo gratulor ex animo et Germaniae, in quâ, olim Graece doctorum hominum feracissimâ, perpaucos hodie reperiri fateberis, qui, velut in Graecis scriptoribus legendis, certe intelligendis, exercitati nobis publice innotuerint; si claros quosdam Theologos exceperis, quos ego Nostratibus, quod ad eruditionem spectat, anteponere numquam dubito. Per Ruhnkenium arbitror intellexisse te, quum meo tibi nomine pro egregio munusculo grates ageret, quanti epistolam tuam facerem* Docti *jam nunc* Critici, *ego, qui aliorum conamina his in literis te multo minorum prolixe collaudare soleo. — In Epistolâ vero tuâ*

valde mihi placet docta comparatio verborum Juliani ad fontes, ex quibus hortulos Atticista suos irrigavit: eximiam hac in parte operam posuisti, et valde utilem. D. XXV. Nov. M. DCC. LXIX."

Mox harum epistolarum apographa ad patrem mittens, ipsi desiderium suum jam inde ab aliquo tempore conceptum aperiebat, et debitâ simul verecundiâ ac pietate ab eodem petebat, ut sibi facultatem concederet abeundi Leidam, ibique in scholis Valckenaerii et Ruhnkenii Literis Humanioribus ulterius operam dandi. Idem quoque filii nomine patrem rogabat Heynius, qui juvenem discendi adeo studiosum valde amabat, ipsiusque saluti nullâ ratione melius consuli posse affirmabat. Pater, qui ipse in juventute suâ novem mensea in Batavorum terrâ commoratus erat, et grato semper pectore illius temporis recordabatur, haud ita multo post rescribebat, se propediem curaturum, ut honesto filii desiderio satisfieret, siquidem non dubitaret, quin filius operam daturus esset, ut a principibus hujus aetatis literatoribus Batavis tantum disceret, quantum posset, nec commissurus, ut sibi defuisse in posterum unquam videretur. Quae sane spes et exspectatio ipsum non fefellit.

Proximo itaque anno (1770) indulgentiâ optimi parentis factum est, ut Leidam filius proficisceretur, et eo quidem consilio ac proposito, ut non antea ad patrios lares rediret,

quam in illorum scholâ ac disciplinâ duumvirorum diuturnam suam scientiae literarumque sitim explevisset. Quod nobis ipse his verbis significavit: » *Ab eo tempore, quo ad humaniores literas animum appuli, nulla mihi beatior regio videbatur Batavia, quod in eâ meae deliciae florerent, colerentur, et tutâ tranquillâque pace fruerentur. In quam cum intuebar, maxime mihi occurrebat, et quasi lucebat Leida, in quâ Graecae Latinaeque Musae, post renatas Literas, sedes domiciliumque collocaverunt, et ex eo tempore numquam non summorum Doctorum scholis celebratae sunt, et nostrâ aetate principes ex Hemsterhusii disciplinâ viri antiquam gloriam tuentur, Valckenaerius et Ruhnkenius. Huc itaque mihi eundum putavi, ut et veterem sapientiam ab ipso fonte haurirem, et si quid meo studio criticae facultatis assecutus essem, id horum duumvirorum limâ acueretur atque expoliretur.*"

Jam autem, quantâ cum spe et exspectatione adventum ipse suum praeceperit, ac veluti devoraverit, dictu est difficile. Goettingâ profectus, idem fecit, quod Ruhnkenium fecisse ipse testatus est: *recto ac brevissimo itinere in Batavium tetendit, nulla diverticula captans*, et nusquam diutius commorans, quam necessarium esset. Portam vero Leidae urbis ingrediens, ipsas Athenas et Palladis arcem sese ingressum arbitrabatur, et sacer quidam horror ipsum commovebat. Progrediens, obvium quemque, quamvis illiteratum, et forte

operarium, bajulum vel nautam, ut sanctum et propiore Musarum commercio dignatum suspiciebat. Quovis gradu pedem in vestigium magni viri et literarum herois ponere sese putabat. Nec domum ullam, aut officinam tabernamque fere praeteribat, quin sibi cum Musis conjuncta, aut nescio quid Attici spirare, Atticoque genio animata videretur. Memini adhuc, ipsum ad focum sedentem aliquando mihi de illo fanatico, ut ita loquar, somnio, praeter alia multa, etiam haec fere narrare: » Saepe postea, mi Mahni, cum risu istum mentis meae errorem recordatus sum, at ita tamen, ut eum semper in laetis et fortunatis vitae meae partibus numeraverim. Numquam enim in illâ adolescentiâ ac paene pueritiâ ullos magnopere progressus in literis nostris fecissem, si omnia in hoc studio meo sana et sedata fuissent, nec omnino quicquam ardoris, morbi, furoris adjunctum habuissent." —

Caeterum vero, quum hic Wyttenbachio fuerit error et affectus ad urbis, hominum aedificiorumque adspectum, quid ipsi animi fuisse putemus ad ipsorum, quos quaerebat, duumvirorum adspectum? Pulsabat fores, cogitans illud Homeri, ἦ μάλα τις θεὸς ἔνδοθ' σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα. *Certe omnino aliquis Deorum intus: admiratio me tenet intuentem.* Sed ecce ad primum obtutum, ad primam salutationem ex illâ doctrinae divinitate summa morum humanitas oboriebatur. Error igitur

evanuit ipsi: rediit sanitas, rediit judicium. » *Quis meus*, inquit, *sensus fuerit ad Ruhnkenii Valckenaeriique adspectum, quos absens ut Deos colueram, dictu est difficile: difficilius etiam, quae mea fuerat admiratio, quum tantam divinitatem cum tantâ humanitate conjunctam viderem. Cognoveram antea aliis in populis Professores, qui apud discipulos et indoctiores, saepe etiam apud aeque doctos et doctiores gravitatis et reconditae cujusdam sapientiae speciem affectarent. Tales ego homines numquam ferre poteram. Sed tamen, mecum ipse cogitabam, si ferendi sunt isti mores, in solis eos feram Lugdunobatavis duumviris: his concedam; hi si faciant, sumant superbiam quaesitam meritis. At nil quidquam istiusmodi in eorum inerat moribus, nil supercilii, nil simulationis, nil nisi verum, simplex, modestum, nil non ad civilem et communem aequalitatem exactum, quam nemo ignorat, nemo non amplectitur, qui ex veterum scriptis verum sapientiae fructum quaerit.*"

Leidae quamdiu esset, non modo quotidie in scholas Valckenaerii et Ruhnkenii venit, ut veram et criticam Literas antiquas docendi rationem penitus perciperet, verum insuper etiam domi occupatus fuit legendis libris nondum lectis, et conferendis Codicibus scriptis operum Plutarchi; e quibus γεύματος χάριν librum *De Serâ Numinis Vindictâ* reliquis praemittere sibi proposuerat.

Atque profecto, uti antea Hemsterhusius

illud imprimis egerat, ut Ruhnkenium in Batavia retineret, inque cathedra collocaret; ita nunc Valckenaerius et Ruhnkenius omni modo operam dabant, ut Wyttenbachium, cognita ipsius ingenii et doctrinae praestantia, patriae nostrae vindicarent, atque a consilio redeundi aliquando ad suos averterent. Qua in parte fortuna ipsis omnino favit. Quum enim Societas Remonstrantium doctorem quaereret, qui in ipsorum schola Amstelodami Literas et Philosophiam doceret, evenit, ut non modo horum duumvirorum commendatione illud munus Wyttenbachio offerretur, verum etiam ut hic ipsorum hortatu oblatum acciperet. Quodsi igitur Hemsterhusius suis in patriam meritis hunc adjecisse cumulum merito dicendus est, ut ei Ruhnkenium bonarum Literarum statorem formaverit ac vindicaverit, quid jam, quaeso, statuendum erit de Valckenaerio et Ruhnkenio, qui effecerunt, ut Wyttenbachius reliquis terris Bataviam praeferret, quam eruditionis suae splendore illustraret? Equidem haud facile quemquam Literarum Humaniorum fautorem aut cultorem in patria nostra repertum iri arbitror, qui hujus boni pretium non sentiat. Ipse Ruhnkenius certe, cujus testimonium hac in re alicujus momenti esse opinor, perspicue et disertis verbis declaravit in epistolio quodam, cujus exemplar mox exhibebo, quanti illud esse statuerit, Wyttenbachium oblata ipsi honestissima docendi provincia jam arctius cum Batavis conjunxisse.

Jam itaque Wyttenbachius sub finem anni 1771 Leidâ migravit Amstelodamum, ibique die 19 Novembris in Remonstrantium scholâ suum munus professorium solenni Oratione auspicatus est, quâ, quantum inferioris Latinitatis sensu et dicendo valeret, luculentissime ostendit. Nimirum et experientiâ, et summorum dicendi magistrorum sententiâ constat, ei, qui ad dicendum se paret, difficile esse invenire cum in omni Oratione exordium, tum in multis ipsum argumentum. Hanc itaque difficultatem, in quam homines ingeniosi potius et diserti, quam rudes et indiserti, incidere solent, Wyttenbachius solerter superavit. Primum enim, quamvis brevi, tamen admodum eleganti exordio usus est. Deinde vero, ejusmodi argumentum orationis elegit, quod futurae professioni suae plane conveniret, atque in communi ac populari omnium intellectu positum esset. Dixit enim *De Conjunctione Philosophiae cum Elegantioribus Literis*, et in dicendo ita versatus est, ut, quod ad ipsam materiae tractationem spectat, illis tribus artis oratoriae primariis virtutibus, hoc est perspicuitati, suavitati et gravitati omnino satisfecerit, et tam docendo, quam delectando atque movendo ad persuadendum accommodate dixerit.

Hanc vero Philosophiae et Literarum cathedram per octo deinceps annos magnâ cum laude et intelligentium suffragatione tenuit. Vix verò annum docuerat, quum prudentio-

res, perspectâ Wyttenbachii eruditione et docendi solertiâ, jam metuere inciperent, ne quando, famâ de ejus multiplici scientiâ latius vagante, eî majus quoddam theatrum aperiretur; et sic Remonstrantium schola tam egregio doctore privaretur. Intellexi illud ex epistolio illo Ruhnkenii, cujus modo memini. Haec enim die 4 Febr. 1772 ad Wyttenbachium scripsit Ruhnkenius: » *Ita mihi, quae opto, contingere velim, ut, cum in mentem venit consilii, quo te primo Remonstrantibus commendavi, ipse mihimet placeo, et fructum hujus rei uberrimum capio. Tu enim in honestissimi otii portum delatus, nihil eorum, quibus literati hominis felicitas censetur, requiris, et qui te juventuti erudiendae praefecerunt, non solum tanto doctore gloriantur, sed sibi jam sollicitudinem, quanquam vanam et inanem, ut spero, sed sollicitudinem struunt, ne quando, famâ latius vagante, desinas esse suus.*"

Quamprimum vero Amstelodamum venerat, Valckenaerium pariter atque Ruhnkenium non nisi vera de hujus stationis opportunitatibus sibi praedicasse continuo animadvertebat. Petrum Fonteinium, cui commendatus erat, primum adibat. Humanissime ab illo venerabili sene exceptus, audiebat adventum suum optimo viro gratum esse, et consuetudinem gratam item fore. Quae prima congressio quamnam vim ad animum Wyttenbachii habuerit, ex ipsius Epistolâ ad Hieronymum Boschium satis superque intelligi potest. Ac

quâ pietate, et quo paterno honore idem hunc optimum senem postea semper coluerit, non aliunde melius percipi potest, quam ex ipsius verbis, quibus causas explicuit, ob quas illi Primam Bibliothecae Criticae Partem dedicandam censuerit. » *Quod vero*, inquit, *Te, Praestantissime Fonteini, libello patronum assumsi, rationes mihi fuerunt, quarum vel numerum vel momentum nemo quisquam reprehendat. Primum, pietas erga Te mea, tuaque erga me benevolentia: quae a communi Literarum studio profectae, consuetudinem inter nos conciliarunt eam, quae multos de his Literis privatim tulit sermones mihi et jucundissimos et fructuosissimos, ut eorum publicum prodere documentum ipsa me pietas jubeat. Accedit singularis quaedam tua erga hunc libellum voluntas, cujus ut antea instituendi, ita nunc instaurandi, suasor et hortator mihi fuisti praecipuus. Jam si nullae essent inter nos tantae necessitudines, satis tamen apud me valere debebat summa illa doctrinae tuae copia: quam quidem Tu, quominus ad scribendum, eo magis ad judicandum convertis. Quamquam sunt tuae, ut in longo usu accuratissimâque Veterum lectione, et Animadversiones plurimae plane egregiae, et est Theophrasteus Characterum libellus auctus a Te ac mirifice expolitus: qui studii Tui fructus ne intercidant Tu providebis, si quid apud Te vel Literarum commodum vel nostrae preces valent. Sed prouti ille philosophiae parens Socrates ingenio*

quamvis acerrimo nihil ipse pariebat, sed aliorum parturientibus ingeniis obstetricis officium adhibens eorum foetus dijudicabat, jucundâque illâ ironiae festivitate reprehensionem temperans plurimos errore et opinionis vanitate liberabat, et in rectam veri bonique viam revocabat: ita Tu, Praestantissime Fonteini, et studium tenacissimum et ingenium cultissimum in legendo et judicando, non in scribendo, collocas, et illam judicii severitatem humanitate temperans plurimis nostrorum hominum et profuisti et prodes: quorum nemo est, paulo quidem prudentior ac modestior, quin scriptum editurus, sive illud ad Antiquas sive ad Patrias Literas, sive ad solutam sive ad ligatam referatur orationem: nemo igitur est, quin tuum expetat judicium, et cum accedat ad Te ut ad judicem, a quo tam sit probari honorificum, quam reprehendi salutare, tum discedat a Te, ut se tuâ admonitione doctiorem melioremque discedere sentiat. Quare tua, Praestantissime Fonteini, jam octogenarii senectus est illa quidem omnibus admirationi, et jure beata judicatur, ut corpore animoque vigens, morum facilitate constans, doctrinarum studiis exhilarata, summorum hominum familiaritate florens: quae quamquam magna sunt et mirabilia, haud scio an majus etiam sit illud tuum bonum, cujus fructus in publicum effluit. Mihi certe in Te intuenti, nescio quomodo, semper occurrit illud L. Crassi dictum, qui senis beatitatem in dando consilio posuit, ut suo jure dicere senex idem

possit, quod apud Ennium dicat, Pythius Apollo: se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,

> Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex
> Incertis certos compotesque consilii
> Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Plura hanc in rem dicere, quamquam et multa et verissima dicere possim, cum tua gravitas, tum meus me prohibet pudor. Illud unum intelligi volui, me non sine ratione facere, ut libellum criticum ei viro inscribam, cujus et summa doctrina et diuturna vita in judicio de his Literis, id est in Critico studio, consumta est."

Praeter Fonteinium vero alios etiam bonos viros et Literarum cultores, maximam partem sui aequales, quorumque ipse saepius in scriptis suis honorificam mentionem fecit, continuo sub adventum suum nactus est amicos: imprimis *Hieronymum Boschium*, antiquae notae virum. Videns hunc esse optimi animi virum juvenem, studii literarum acerrimi, doctum, ingeniosum, iisdem, quibus ipse, studiis deditum, suique amantissimum, ipsum redamare coepit, et tanto quidem ardore, quanto neminem alium hominem unquam amaverit. Atque hinc non modo primus Amstelodamensis dies quoque primus ipsorum amicitiae fuit, sed ab eo etiam inde tempore semper una fuerunt, seque invicem mutuis beneficiis coluerunt. Quinetiam, bien-

nio post, Wyttenbachium amor erga familiam Boschianam eo induxit, ut in Hieronymi contuberhium concederet, atque ambo undecim propemodum annos in iisdem aedibus una habitarent. Quanti vero alter alterum aestimaverit, uterque, diverso tempore, egregio Literarum monumento prodidit. Boschius hoc fecit in Dedicatione Carminis sui *De Aequalitate Hominum*, Wyttenbachius duodecim annis post, scripta ad Boschium Epistola. Et quamquam postea nescio qui exorti sunt, qui variis artibus Boschium adversus Wyttenbachium incitarent, tamen isti male seduli numquam voti sui penitus compotes fieri potuerunt. Illorum amicitia, utpote a communi Literarum amore profecta, virtute ac doctrina tamquam vinculo continebatur. Atque habent hoc praeterea literae, ut amicis semper novae voluptatis quid pariant, nec satietati locum relinquant. Caeterum habemus de horum duumvirorum amicitia locupletissimum testem, communem utriusque viri discipulum et amicum, Clar. Virum *Davidem Jacobum Lennepium*, cujus verba quin apponam, a me impetrare non possum, siquidem ad illa, quae modo dixi, inprimis valent. Hic igitur, *Venit Wyttenbachius*, inquit, *Amstelodamum anno superioris saeculi septuagesimo primo, cathedram ibi in Collegio Remonstrantium Philosophiae et Literarum ut capesseret. Eum in consuetudine versatum Valckenarii et Ruhnkenii, commendatione horum adeptum cathedram,*

scriptorem eruditissimae ad Ruhnkenium Epistolae Criticae, quomodo Boschius *non amice statim advenientem exciperet? Wyttenbachius vero in hanc urbem veniens quomodo non vicissim* Boschii *familiaritatem expeteret, hominis amplissimorum civium gratiâ, nobilissimorum juvenum amicitiâ florentis, ea vero bona consecuti bonis artibus, literarum maxime et humanitatis studiis, quorum ipse amore flagrans etiam alios incendere studeret; denique quod paucissimi tum Amstelodami facerent, Graeca pariter amplexantis ac Latina, seque ita applicantis ad poëticen, ut nec prosam orationem negligeret. Sane primâ statim congressione sibi invicem conciliati sunt hi viri. Quae congressio qualis fuerit, quos habuerit de literis sermones, quam utrimque significationem animorum, quae indicia nascentis mutui amoris; ut tum orta familiaritas cito in arctam creverit necessitudinem, mox et occasionem dederit contubernio, quo per undecim annos Boschianae et domus et mensae consors fuit Wyttenbachius, atque semper et durante illo contubernio et soluto illo incorrupta steterit gratia, dissidentium aliquando, ut fit, opinione inter se, nunquam animo, haec igitur, et quae cum his conjuncta sunt plura, venustissime ipse Wyttenbachius exposuit in celebratissimâ illâ ad* Boschium *Epistolâ, jam ab seniore ad senem editâ; quae, dum Literis Latinis suus honor erit, immortale feretur et ingenii amborum monumentum et amicitiae.*"

Quum autem, ipso Wyttenbachio judice, publici doctoris officia inprimis duo sint, alterum necessarium, institutio studiosae juventutis, alterum honorarium, scriptio librorum, in quibus doctrinam ipse suam ad communem omnium usum prodat, et provectiores adeo ac seniores doceat; haud a re alienum, immo utile et necessarium mihi videtur, animum ad ea advertere, quae Wyttenbachius in utrâque hac parte per *octo* illos annos praestiterit, quibus in schola Remonstrantium doctor fuit.

Ipsi igitur professio Philosophiae et Literarum mandata erat. Illa scholis de Logicâ et Metaphysicâ habendis constabat. Haec in explicandis scriptoribus Graecis potissimum versabatur. Utramque hanc provinciam Wyttenbachius summâ cum fide administrabat, et ad discentium profectus unice accommodabat, miscens utile dulci. Atque ut eo plures discipuli scholis Graecis interesse, et eo majores inde fructus in rempublicam redundare possent, illas scholas non modo in usum Remonstrantium, verum etiam in gratiam alumnorum Athenaei Amstelodamensis, in quo Athenaeo tunc hae scholae prorsus vacabant, publice habuit, nec a quoquam honorarium accipere voluit. Praeterea summâ curâ ac diligentiâ Praecepta Artis Logicae et scholas Metaphysicas conscripsit, quas discipulis dictaret, ut haberent, quod domi relegere possent. Haec autem dictata in ipsis scholis

fusius explicabat, et exemplis illustrabat. Sed quoniam de his mox pluribus agam, nunc satis sit animadvertisse, Wyttenbachium magno cum fructu discentium scholas illas habuisse philosophas, et Litterarum Graecarum studium, quod tunc Amstelodami refrigueràt, per ipsum rursus reviviscere coepisse.

Et quamvis haec laboris plenae occupationes quotidianae ipsum, praesertim primo anno, valde exercerent, tamen non impediebant eum, quominus cum *Hieronymo Boschio* et *Matthiâ Temminckio* sodalitium jungeret, Sophoclemque, Euripidem et Aristophanem legeret, aliorum amicorum coetibus subinde interesset, diurnâ nocturnaque manu solus alios scriptores antiquos utriusque sermonis cognosceret legendo et meditando, in Latine scribendo quotidianis exercitationibus proficeret, atque Plutarchi inprimis assidua lectione apparatum emendationis et interpretationis ad novam editionem, quam moliebatur, amplum et necessarium sibi colligeret.

Quo in studio quum quadriennium sine intermissione fere contrivisset, atque Codicum tractandorum et excerpendorum gratiâ praecipuas Europae Bibliothecas deinceps adire sibi proposuisset; primum anno 1795, suadente inprimis Ruhnkenio, Parisios abiit, ibique dimidium annum moratus est. Et quum ex multis audivisset, Capperonnerium, codicum scriptorum in Bibliothecâ Regiâ custodem, erga Ruhnkenium et alios peregrinos

facilem ac liberalem fuisse; illius recens successorem quoque erga se talem et aeque indulgentem fore arbitrabatur, praesertim quod literas commendatitias Lestephanoni Berkenrodii, Viri Ampl., Reipublicae Batavae legati, ad Bignonum, Vir. Exc., eumdemque Bibliothecae Praefectum, et aliorum ad alios, datas haberet. At mox, quum sibi codices inspiciendi ac tractandi facultas non concederetur, scriniaque clausa manerent, illas literas suas apud Franciscum Bejotium, Capperonnerii successorem, hominem religiosum, et in concedendo librorum scriptorum usu admodum difficilem, non tantum valuisse intelligebat, quantum quidem putaverat. Tristis igitur amicorum fidem et auxilium implorabat, seque spe et exspectatione suâ frustratum querebatur. Atque hinc Alembertus, Foncemagnus, Sanctocrucius et Villoisonus, quâ erant eximiâ singuli humanitate et erga Wyttenbachium benevolentiâ, id conjunctim agebant, ut Wyttenbachio aditum ad Bibliothecae thesauros aperirent. Quod quum ipsis ex voto successisset, expugnatus amicorum iteratis petitionibus Bejotius, cognitâ semel Wyttenbachii humanitate et doctrinâ, sese postea affabilem et ad omne officium literarium omnino promtum ac paratum praebebat. Quomodo autem Wyttenbachius hoc beneficio usus sit, non est ut copiose enarrem, siquidem vel ex eo apparet, quod intra sex mensium spatium *duodecim* Plutarchi codices contulerit.

Interim tamen, etsi ista peregrinatio Parisina ad emendandum Plutarchum Wyttenbachio valde fructuosa fuit, sanitati ipsius nocuit. Parisiis enim in febrim incidit, et arte ac dexteritate peritissimi medici, *Lorryi*, vix ab ea liberari potuit. Quem tristem nuntium quum Santenius, in patriam Parisiis reversus, cum Ruhnkenio communicasset, hic amici sorte dolens, has ad eum literas mense Septembri mittebat: » *Ex Santenio, feliciter reduce, Te duplici tertianâ tentari cognovi. Quae res, tam adversa rationibus tuis, mihi non mediocrem molestiam afferebat. Sed tamen sollicitudinem minuebat, quod ex eodem intellexi, Te sive casu, sive aliorum consiliis medicum adhibuisse Lorryum, quo, ut nostri Aesculapii judicant, Parisini non habent medicum peritiorem. Ejus igitur arte Te febri jam liberatum, aut certe levatum esse spero.*"

Quantum vero voluptatis atque utilitatis ex hoc itinere Wyttenbachius perceperit, quantâ humanitate ipsum Parisienses viri docti exceperint, quâ curâ et benevolentiâ Lorryus aegrotantem Wyttenbachium tractaverit, et quam religiose hic amicitiam cum Parisiensibus initam sibi servaverit, ipsorumque memoriam usurpaverit, haec omnia ex optimi viri scriptis cognosci possunt, et mihi magis etiam ex eorum mutuo literarum commercio innotuerunt. At vel sic tamen duo loca, ad hoc argumentum cum maxime spectantia, hic apponam. Alter desumtus est ex Lorryi epis-

tolâ quadam humanitatis plenâ, et amoris erga Wyttenbachium sui certissimâ teste. » *Quod mihi*, scribit, *ea contigerit felicitas, ut afflicto potuerim aliquod afferre solatium, erit semper unde mihi ipse gratuler, et certe contra edictum Hippocraticum ex tuis aerumnis immensum mihi lucrum contigit. Convaluisse vidi virum omnibus bonis charum, omni literaturae pretiosum, eumque et inter amicos numerare, et de ipso gloriari datur.*" Alter vero ab ipso Wyttenbachio in Bibliothecâ Criticâ his verbis expositus est : » *Trigesimus hic est annus, quod me in Parisiorum urbe studiorum communio compluribus doctis hominibus, inprimis Villoisono, Sanctocrucio, Larchero, ad mutuam benevolentiam conciliavit; quae postea ad amicitiae constantiam evaluit: cum duobus illis, propter aequalitatem aetatis, quotidianâ tunc familiaritate floruit. Erant enim non solum eruditissimi homines, ut sermoni materia numquam deesset: sed et modesti et jucundi, et, quod praecipuum est, viri boni ac probi: et me amabant, et amorem multis officiis comprobabant, nec ea commemorando aut exprobrando, quae est multorum stultitia, confutabant. Unum tamen fuit in quo gloriaretur Villoisonus, et vere gloriari posset, se mihi periculose aegrotanti vitam servasse, quod medico me commendasset, eidem et suae artis et nostrarum literarum peritissimo*, A. G. Lorryo, *qui et per artem me dextere, et propter Literas amanter curaret. Ac Lorryi quidem in me*

beneficium, ut vivente ipso testificatus sum in Bibliothecâ vol. II. p. III. p. 106, ita nunc, utroque mortuo, utriusque beneficium gratus celebro. Horum igitur virorum erga me humanitatem gratiorem reddebat nativa et popularis illa urbanitas; ut et tunc, et postea, de eruditis Gallis usurparem illud, quod apud Platonem Leg. I, p. 572, C, Lacedaemonius Megillus de Atheniensibus celebrari dixit, ὡς ἔστι τῶν Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ, διαφερόντως εἰσὶν τοιοῦτοι· *qui ex Atheniensibus sint boni, eos excellenter esse bonos. Tales erant illi viri, et in his Villoisonus, cujus tota vita constabat bene faciendo. — Omnino, qui magis officiosus, magis ad promittendum benignus, in promissis faciendis diligens et industrius fuerit, fateor me cognovisse neminem.*"

Sanus et salvus Amstelodamum reversus, amici et discipuli, qui propter istam malignam et recidivam febrim, quâ Parisiis eum laborasse audiverant, vitae ejus timere quodammodo coeperant, ipsi de adventu ac restitutâ sanitate ex animo gratulabantur. Hac humanitate et benevolentiae significatione adeo delectabatur, ut postea saepius testaretur, sibi tunc nihil magis gratum ac jucundum fuisse, quam quod se et ab amicis re verâ amari, et a discipulis aliquo in pretio haberi viderit.

Et quum post longam absentiam numerus tractandorum negotiorum vulgo major videri solet, quam ut singula et universa ad proba-

bilem exitum a nobis perduci posse putemus; mirum quoque nobis videri non debet, cur Wyttenbachius tunc ad Villoisonum scripserit: » *Nunc obrutus negotiis, cum iis quae me exspectabant, tum novis undique ingruentibus, vix quo me vertam reperio. Et unice me sustentat ea spes, ut, expeditis illis negotiis, me ad Musas nostras tamquam in portum conferam, si modo me recipere velint.*" Immo potius videamus, quo studio et amore Musae id fecerint, et quâ ratione Wyttenbachius blandissimis ipsarum invitationibus obtemperaverit.

Primo igitur in scholis denuo aperiundis praecipuam curam posuit. Nam non multo post reditum in urbem rursus pristino more suo, h. e. accurate et diligenter docere coepit, doctrinarumque studiosae juventuti iterum prodesse studuit. Deinde ad Plutarchum rediit, ut apparatum indefesso labore Parisiis collectum in ordinem redigeret. Et denique in eo quoque magnam studii sui partem collocavit, ut antea lecta et annotata diligenter retractaret, atque omnino ad criticam rationem exigeret. Nam eo non contentus, ut necessaria tantum ageret, sed de universâ civitate eruditâ bene mereri cupiens, id optissimum e re suâ esse intelligebat, ut lectu digna et industriâ elaborata aliquando proferret, quaeque tam materiae praestantiâ, quam formae elegantiâ sese lectoribus commendarent.

In his igitur exornandis et ad editionem instruendis quum aliquamdiu occupatus fuisset, animum ad *Bibliothecam Criticam* conscribendam applicuit, hujusque consilii sui rationes Ruhnkenio explicuit, quem in rebus literariis, ut ita dicam, veluti terrestrem Apollinem numquam non consulere solebat. Et hic primum quidem ei hujus operis susceptionem dissuasit, verum mox, re accuratius, ut videtur, perpensâ, similiter atque Fonteinius eum valde adhortatus est, ut propositum suum sine ullâ intermissione persequeretur. Atque hinc prodierunt anno 1777 *duae* priores Partes illius Bibliothecae, quae propter eruditionis exquisitae copiam et varietatem, judicii severitatem, in laudandis virtutibus veritatem, reprehendendis vitiis humanitatem, et denique ob orationis elegantiam eximiasque alias dotes tot amatores et admiratores cum in patriâ nostrâ, tum extra illam in Italiâ, Angliâ, Galliâ Germaniâque habuerunt, quot illis prudentes et eruditi lectores obtigerint.

Verum eodem illo anno 1777 aliud quid evenit, cujus ipse Wyttenbachius his verbis meminit: » *Tum Burmannus Secundus, abdicatâ Amstelodamensi cathedrâ, reliquum vitae otiaturus in Santhorstanum suum concessit. Cathedram ejus tres inprimis petebant candidati. Ipse Curatoribus commendabat Santenium: me Valckenarius, et grata quaedam civium opinio, quod per sex annos juventuti Literarum et Philosophiae institutione profuissem. Tulit*

Tollius. Ruhnkenius nemini trium operam suam praestare voluit; quod peraeque ejus fuissemus discipuli." Hanc repulsam amici Wyttenbachii admodum aegre ferebant, nec se ullo modo assequi posse ajebant, quî factum sit, ut Curatores tam docto et erudito, nec non de juventute tamdiu jam bene merito viro alium praetulerint. Horum in numero inprimis etiam fuit illud Germaniae insigne decus et ornamentum, *Heynius*, qui in epistolâ ad Wyttenbachium hoc anno datâ sic de hac re scripsit: *Petrum Burmannum audio profitendarum Literarum munere se abdicasse. Estne is, qui ei successit, Tollius ullâ Literarum laude praeter alios clarus?*" Ipse Wyttenbachius vero, cujus animus ab omni invidiâ alienus erat, et qui Tollio hujus contumeliae culpam minime imputabat, id modo dolebat, quod studium suum in erudiendâ juventute Amstelodamensi tam liberaliter et ultro collocatum ab Athenaei Curatoribus nullius fere momenti habitum esse videret. Quo quum mox aliae causae ingratae accederent, et in Germaniâ ipsi honorificae stationes offerrentur, parum omnino aberat, quin subsequente anno patriam nostram relinqueret: » *Valuit tum*, sunt verba ipsius, *Ruhnkenii amor et auctoritas, ad me in Batavâ terrâ retinendum: absque eo factum esset, ut eam relinquerem. Vitae commode agendae illo, quo eram, loco difficultas: superioris anni offensio subinde animo subjiciens illud*, Nil profuit pietas: *oblatae*

apud exteros stationes per opportunitatem itineris ad patrem senem suscepti: haec omnia vehementer me movebant. Vehementius tamen movit Ruhnkenii et libertatis Batavae cogitatio."

Haec simulatque ad Boschii, Temminckii, Crassi et aliorum ejus amicorum notitiam pervenissent, hi istam offensionem omnino leniendam esse arbitrabantur, antequam aut Helvetii popularem suum, offerendo ei cathedram in patriâ suâ, sibi vindicarent, aut Germani, quibus adeo carus esset, eum ad se allicerent, atque sic illius abitu res Batavorum litteraria maximum nec resarciendum detrimentum caperet. Conjunctis itaque viribus id inprimis agebant, ut urbis Consulibus Athenaeique Curatoribus persuaderent de magnâ illâ utilitate, quae in Athenaeum Amstelodamense redundatura esset, si Wyttenbachium Philosophiae Professorum crearent, atque eâ ratione in patriâ retinerent. Quo facto, Wyttenbachius hanc professionem in Illustri Athenaeo Amstelodamensi die 25 Octob. 1779 auspicatus est solemni Oratione habitâ *De Philosophiâ, auctore Cicerone, laudatarum artium omnium procreatrice et quasi parente.* Atque verissime videor affirmare posse, hanc quoque Orationem non modo similiter atque superiorem Philosophiae professioni ratione argumenti congruisse, verum etiam tam apte et ingeniose elaboratam esse, ut Eloquentiae officiis satisfecerit. Tenendum enim est, Orationum Academicarum materiam

hodieque angustis finibus circumscriptam esse. Potissimum enim vel in laudando claro viro, vel in commendandâ quadam doctrinâ posita est. Horum argumentorum illud genus satis aptum est et conveniens eloquentiae, hoc vero non item. Atque hoc ipsum genus Veteres etiam Philosophi saepe usurparunt, qui institutionum suarum initium ducere solebant ab Adhortatione ad studium Philosophiae. Quo in genere fuit Ciceronis liber Hortensius, et nunc etiam exstant Protrepticae Orationes Galeni, Jamblichi, et ejus, qui hunc morem ad Christianam doctrinam accommodavit, Clementis Alexandrini. Caeterum, quam hoc inprimis sit Eloquentiae, ut res auditoribus non solum ad intelligentiam subtiliter explicetur, sed ad animi sensum motumque etiam ornetur; anceps plerumque est periculum, ne vel subtilitati obsit ornatus, vel ornatui subtilitas. Aliud est disserere, aliud dicere. Qui solam sequuntur subtilitatem, hi jejunum quid ac siccum, disputationi quam orationi similius, afferre solent. Contra qui ornatui unice student, ejusmodi opus efficiunt, in quo non tam eloquentia quam loquacitas, jucunda illa forte, sed loquacitas tamen, appareat. Ergo prouti Pericles causas forenses eloquenter tractabat, quod iis lumen quoddam ingenii in rerum abstrusarum et intelligibilium cogitatione exercitati adhiberet: ita vicissim argumentum intelligibile et abstractum, ut vulgo vocant, eloquenter tractabitur, si ejus partes

corporeis quasi imaginibus comprehendantur, comparationibus et exemplis, cum efficacibus tum splendidis, e communi vitâ et naturae observatione ductis, illustrentur, et tamquam praesentes manifestaèque oculorum sensui subjiciantur. Jam autem utrique legi cum subtilitatis tum ornatûs omni ex parte nemo satisfacere facile possit in Oratione Academicâ, quae vulgo unius horae spatio inclusa sit. Etenim quamvis ornatui satisfactum sit, materia quidem explicari omnis non potuerit. Neque etiam illa confertim et pleno, ut ajunt, sacco effundenda, sed modo et ratione expromenda. Neque porro plus ex materiae copiâ et ornatûs apparatu assumendum, quam quantum, acerbo delectu habito, ad persuadendum ac commovendum cum perspicuitate explicari queat. Hac enim in re etiam valet illud Horatii,

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici :
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.

Sed hoc illud ipsum est, quod magnâ cum judicii subtilitate et dictionis admirabili elegantiâ fecit Wyttenbachius, quem post renatas Literas unum ex paucis illis principibus viris cum maxime fuisse prae me ferre audeo, qui artis oratoriae laudem quotidianâ exercitatione cum in scholis, tum in scriptis suis et secuti et assecuti sint.

Hanc vero Philosophiae professionem usque ad annum 1785 obtinuit. Scholae ipsi eaedem,

quae antea, habendae erant, de Logicâ et Metaphysicâ. Harum disciplinarum libros jam confecerat, nec quidquam magnopere aliud hac in parte ipsi agendum amplius supererat, nisi ut illos quotannis vel corrigendo vel supplendo meliores et auditorum captui magis etiam accommodatos redderet, atque deinde praecipua quaeque loca in scholis fusius explicaret, atque adhibitâ definiendi, argumentandi et interpretandi diligentiâ Logices officio satisfaceret. Quicunque his ejus lectionibus interfuerunt, ipsum tantâ curâ et religione, quantâ potuerit maximâ, in illis habendis habitisque versatum esse uno ore testantur. Sed hoc ei nondum satis esse videbatur. Alumnos suos ad interiora Musarum et Philosophiae sacra ducere, et, quid Veteres, inprimis Graeci, in Philosophiâ praestiterint, ipsis veluti digito monstrare volens, nihil utilius fore credebat, quam scholas singulares de *Historiâ Philosophiae* habere, quippe quae non modo ad ipsam philosophiae intelligentiam plurimum conferret, verum etiam ad omnium fere reliquarum artium et doctrinarum historiam veluti januam aperiret. Omnis autem hujus materiae copia in *sex* partes, sive aetates, divisa erat. I. Ab initio ad Thaletem et Pythagoram, sub quibus hoc studium magis auctum est, ac Philosophiae nomine celebrari coepit. II. De duabus praecipuis Graecae Philosophiae familiis: alterâ Ionicâ, quae a Thalete fluxit usque ad So-

cratem: altera Italicâ, quae Pythagoram habuit auctorem. III. A Socrate, a quo variae proseminatae sunt philosophorum sectae, usque ad illud tempus, quo Graecia sub Romanorum potestatem redacta est: unde factum, ut Philosophiae studium apud Romanos et alios populos sub occidente sole jacentes efflorescerét. IV. Ab initiis studii philosophici apud Romanos usque ad captam a Gothis Romam, et finem Imperii Occidentalis, A. Chr. 476, vel usque ad Justiniani imperium, A. 526. V. Ab eo inde tempore usque ad renata bonarum literarum studia Sec. XV, et expugnatam a Turcis Constantinopolin. VI. Ab eâ aetate usque ad mortem Christiani Wolffii, medio saeculo decimo octavo. — Sed quum omnino necesse sit, multas res alto silentio praeteriri, neque artium et disciplinarum incrementa, neque ingeniorum variorum, quae in quoque genere elaborarunt, vires laudesque intelligi, neque decrementorum postea exortorum causas recte percipi, quum Philosophiae historia a reliquarum rerum historiâ, tamquam a corpore membrum, divellatur; in qualibet aetate primum res externas et civiles attingebat, populorumque, apud quos Philosophia floruerat, statum conditionemque breviter designabat, et deinde, his expositis, ipsius Philosophiae studia et incrementa Philosophorumque vitas explicabat. Continent profecto hae scholae Wyttenbachianae, quibus auditorum animi mirum in modum

ad Philosophiae studium excitabantur, insignem eruditionis thesaurum, meque illas, consentiente eruditissimâ et honestissimâ magistri mei viduâ, aliquando editurum esse, admodum verisimile est.

Neque tamen intra hos solos docendi fines ejus studium et flagrans de Literis bene merendi cupiditas ipsum subsistere siverunt. Horas subsecivas et vacuas ab officiis professorii muneris causâ agendis partim Plutarcho tribuit, qui ei quod scimus, *unum et perpetuum* opus erat, partim Bibliothecae Criticae impertivit. Hujus *tertia* pars superiori anno prodierat, quam nunc *quarta* subsequebatur. Porro quum Curatores Legati Stolpiani hanc Quaestionem publice proposuissent, » *Num solâ rationis vi, et quibus argumentis, demonstrari potest, non esse plures uno Deos? Et fueruntne unquam populi aut philosophi, qui hujus veritatis cognitionem sine revelationis divinae, ad ipsos propagatae, auxilio habuerunt?*" Quum haec, inquam, Quaestio eruditis proposita esset, Wyttenbachius argumenti gravitate ac momento ad respondendum excitatus, illam difficilem materiam pro ipsius magnitudine et pondere tantâ cum doctrinae copiâ, judicii severitate, argumentorum gravitate, orationis perspicuitate exposuit, ut ipsius Disputatio die XIII Oct. praemium reportaverit.

Caeterum vero idem hic annus morte optimi parentis ei acerbum quidem, nec tamen

improvisum luctum attulit. Superiori enim anno quum Marburgum profectus esset, ut per opportunitatem feriarum aestivarum patrem senem viseret, statim jam sub adventum suum animadvertebat ipsum minus bene valere, et virium vitalium lentâ diminutione laborare. Abiens igitur sic ab eo discedebat, ut ipsius vitae finem mox adfuturum non sine ratione crederet. Nunc autem, accepto mortis paternae nuntio, inprimis dolebat sibi omnino occasionem ademtam esse, quâ patri, cui non modo τὸ ζῆν, verum etiam τὸ εὖ ζῆν deberet, publico literarum monumento ostenderet, quam grato pectore ipsius in se collata beneficia agnosceret, ac quantâ pietate ipsum coleret ac veneraretur. Scripserat nimirum anno 1777 Praefationem ad patrem suum, quam edendis suis *De Arte Logicâ Praeceptis* praemittere destinaverat. Sed quum illud opus Amstelodami non ante annum 1781 edi potuerit, et ipse interea conscribendâ Bibliothecae Criticae parte *quintâ* et *sextâ* occuparetur; illa Praefatio postea, patre mortuo, typis non excusa, et liber ipse, quo illa Logices Praecepta continebantur, Civitatis Amstelodamensis Consulibus et Illustris Athenaei Curatoribus dedicatus est. Ipsa autem illa scriptio, quum in scriniis Wyttenbachii alia quaererem, forte in manus meas incidit, et a me diligenter ab interitu servata est. Elucent autem optimi viri sinceritas animi atque pietas ex eâ tam manifeste,

ut illâ edendâ me de lectoribus meis optime meriturum existimem. En igitur illud probitatis et amoris erga patrem certissimum testimonium!

» *Quamquam de meâ erga Te observantiâ et pietate unus omnium Tu soleas minime dubitare, eamque ego ita prae me feram, ut neç aliis possit esse obscura; tamen illud tempus venisse, quo hunc animi mei sensum publice testari, et ex paucorum conscientiâ in lucem educere possim, gaudeo, mi Pater, vehementerque laetor. Nam si lubenter amorem nostrum iis significamus, quos amamus, quosque admiramur, eorum virtutes laudare cupimus, et in magnâ felicitatis parte ponimus, iis, qui immortalia in nos beneficia contulerunt, aliquod, quamvis leve, tamen specimen grati animi exhibere: haec igitur singula si privatim jucunda sunt, quomodo non universa, cum publice fiunt, jucundissima esse debent? Atqui si nihil a Te praeter vitam hanc lucemque accepissem, et haec una tantum mihi Tecum intercederet necessitudo, haberet jam istam vim hoc beneficium, ut proximo Te post Deum immortalem loco amarem, colerem, venerarer. Nunc quum ingenium quoque meum literis, sine quibus ipsa haec vita mors est, excolueris, et ad humanitatem conformaveris, quae tandem a me Tibi satis magna significatio grati animi poterit dari? Et Alexander quidem saepius dixisse fertur, pluris se facere magistrum Aristotelem, quam patrem Philippum; huic enim se debere,*

quod viveret, illi vero quod bene viveret. Cujus, si vera justaque fuit sententia, ut profecto fuit, quid tandem a me Tibi deberi fas est, qui et pater mihi et magister exstitisti, quique non tantum vitam mihi dedisti, sed eam vitam, quae literarum amore regatur, studiisque exhilarata sit? Et profecto, quo longius ante actae vitae tempus recordor, eo plura a Te beneficia me percepisse reperio. Ac primum illud, quamvis tempore remotissimum, tamen recenti memoriâ teneo, ut sub ipsam fere extremam infantiam utilium narratiuncularum suavitate semina humanitatis doctrinarumque in me excitaveris atque provocaveris. Deinde vero quum me tradidisses magistris, non ita me temere eorum curae reliquisti, ut non subinde ipse adveniens eorum rationem meosque profectus cognosceres. Et si intelligeres, eos eam sequi viam, quae et intelligentiae difficultatem, et incrementis moram objiceret, in vitâ occupatâ hunc sumsisti laborem, ut me faciliori breviorique viâ, quo tendebam, duceres. Quae quidem opera Tua non in uno literarum genere utilis mihi et salutaris fuit. Postea quum eo pervenissem aetatis, quâ ii, qui vitam literatam sequuntur, vel Theologiae *se studio, vel* Juris, *vel* Medicae artis *addicere solent: quae disciplinae vulgo* graviores *vocantur, non quod ad ipsam sapientiam, sed quod ad vitam sustentandam gravius in iis, quam in reliquis, momentum est: sed eo quum venissem aetatis, meque sive exemplum tuum, sive suasiones et*

admonitiones tuae ad Sacras Literas converti-sent, factum est non ita multo post, ut earum apud me amor refrigesceret, ac mox quidam ingenii impetus ad Graecas Literas me abriperet. Quam Tu studii commutationem adeo non aegre tulisti, ut me praeceptis consilioque juvares, neque eos audires, qui Te monebant, ut me errantem auctoritate et imperio in rectam scilicet viam redigeres. Quamquam eorum consiliis si obtemperare voluisses, certe habuisses rationes, quas sequereris non inhonestas. Nam sive aliorum doctorum hominum exemplum spectasses, qui plerumque cupiunt, ut filii idem atque ipsi doctrinae genus amplectantur, quis Te jure reprehendere potuisset, si, cum ipse clarum inter Theologos nomen adeptus esses, filium voluisses Tibi domesticae laudis quasi heredem succedere? Sive communem hanc et pervulgatam opinionum perversitatem cogitamus, quâ multi, qui se doctos profitentur, non dubitant crebris sermonibus usurpare, atque adeo Academicae juventuti inculcare, nihil in Graecis Latinisque Literis ad veram atque gloriosam doctrinam posse momenti: his itaque clamoribus undique occurrentibus si quis auferretur, quid magnopere mirandum esset? Sed nimirum Tu probè intelligebas, quanta esset in his Literis ubertas, quantaque praestantissimarum rerum copia, quod juvenis admodum per duos continuos annos omnem tuam operam in iis collocaveras. Ex quo studio cum ad aliarum disciplinarum rationem, tum ad

universam vitam egregios Tibi manasse fructus, et Tu ipse haud illibenter memorare solebas, et qui Te norunt, facile cognoscere possunt omnes. Verumtamen Te postea aliud consilium ad Philosophiam deduxit, in quâ tantum assecutus es, ut ad ejus scientiam atque rationem ipsam Theologiam redigeres atque adstringeres. Quod si qui sunt, qui non praeclarum existiment, videant an illa, quae postea in Sacras Literas invecta est, ratio, quamque haud pauci sequuntur, omnia perperam interpretando vexare, labefactare, et quocumque libeat torquere, haec igitur an Theologiae aliquid auctoritatis et dignitatis additura sit. Maximum vero ex Philosophiâ fructum hunc percepisse Te dicam, quod et ingenium ipse Tuum ad lenitatem, et animum ad aequitatem conformasti, summamque virtutem hominis doctorisque Christiani in amore benevolentiâque generis humani, ut in sacrâ arce, reponas atque colas, neque in doctrinâ solum profitearis tuâ, sed vitâ factisque demonstres. Quis igitur unquam fuit, cui vel laboranti non libenter et alacriter opem ferres? vel quem dissentientem a Te non comiter audires et in viam reduceres, repugnantemque placide ferres? Quis non illam animi constantiam rerumque humanarum despicientiam miratus est, quâ Te ad Socratis exemplum vultu semper eodem nec laetis rebus exsultantem, nec adversis fractum unquam vidimus? Hujus igitur tam praeclarae disciplinae studium per aliquod tempus intermissum ut repeterem, quum

muneris mei ratio postularet, minime tuli moleste: eademque cum suaderet, ut ejus veluti instrumentum Dialecticam *ederem; equidem inveni neminem, cui eam potius dedicarem, quam Tibi, qui et ipse ex hac disciplinâ uberrimos fructus cepisses, quique a me primum quoque publice grati animi testimonium repetere posses. Quo ex animo igitur oblatum libellum si benigne acceperis, eo sane reliquis tuis in me beneficiis quasi cumulum adjeceris. Vale.*"

Sunt vero hujus libri, qui a viris doctis magnopere laudatus, et cujus in Germanorum opusculis menstruis admodum honorifica mentio facta est, duae editiones. Prior Amstelodamensis, ab ipso Wyttenbachio edita: posterior Halensis, a celeberrimi nominis philosopho, Jo. Aug. Eberhardo, repetita. Quid Wyttenbachius de hac posteriori editione statuerit, his verbis declaravit: *Cognovi novum editorem paucos locos, idque contra meum consilium, vel omisisse vel mutasse.* Lorryus autem, ille celeber Parisiensis medicus, cujus modo antea mentionem feci, quum a Wyttenbachio illius libri exemplar accepisset, anno 1782 haec ei rescripsit: *Legi atque perlegi librum tuum de Arte cogitandi nitidum, tersum et ad purioris doctrinae elegantiam comparatum, eumque probavi et commendavi. Verum sordent nobis hic opera seria quaecumque, et quod non ludicrum est, ac risu non diducit rictum lectoris, vix admittitur.*

Sequente anno (1782) proponebant Curatores Legati Teyleriani hanc quaestionem: *Quae fuit Veterum Philosophorum, inde a Thalete et Pythagorâ, usque ad Senecam, sententia de vitâ et statu animorum post mortem corporis?* Wyttenbachius illam cum studio Historiae Philosophicae, cui tunc inprimis discipulorum suorum gratiâ operam haud exiguam navabat, arctissime conjunctam esse videns, et tractatu dignissimam judicans, ipsius praestantiâ continuo ita capiebatur, ut animum ad scribendum applicaret, *et experiretur, si forte in ejus tractatione aliquid efficere posset, quod* Curatorum illorum *judiciis probaret.* Leniter igitur afflanti Musarum aurae obsequens, et certo rectoque cursu iter suum persequens, tandem optatum portum intrabat, ac voti sui compos fiebat. Disputatio enim ab ipso conscripta prae cæteris, subsequente anno, digna judicabatur, quae praemio ornaretur.

Et quoniam neque semper, quod volumus, agere possumus, neque ad omne opus semper aeque idonei sumus, viri prudentis omnino est, impetu praesente praesentis operis uti. Quod fecit inprimis Wyttenbachius. Quum enim in illo argumento de *Animorum immortalitate* mentem et cogitationem omnem defixam haberet, ejusque inquisitionem quam plurimum ad bene beateque vivendum conducere sentiret, neque quidquam ipsi prius ac potius esset, quam commodis

eorum inservire, qui quidem aliquid discere vellent; hanc sibi oblatam occasionem continuo arripiebat, inque scholis publicis universae hujus sententiae initia et progressus inde ab initio rerum usque ad Platonem explicabat. An ulterius pervenerit, dicere non ausim. Equidem in chartis optimi nec satis laudandi viri non nisi *quinque* ejusmodi scholas sive lectiones in Athenaeo Amstelodamensi publice habitas inveni, quarum ultima in loco de Platonis sententiâ desinit. Et quandoquidem hae acroases ex eodem sunt genere, quo reliqua viri scripta, ita ut veluti ex Phidiae officinâ prodiisse videantur, et inprimis doctrinae ubertate, argumentorum delectu, et orationis naturali pulchritudine conspicuae sint, neque me illis edendis elegantiorum Literarum cultoribus ingratum facturum existimem, ipsas primo quoque tempore publici juris faciam.

Porro habuit eodem hoc tempore (1783) cum alios quidem bonae indolis discipulos, tum imprimis duos, qui flagrante discendi ardore incensi animum ad scribendum applicarent, et progressuum suorum in Philosophiae et Literarum studio factorum specimina ederent. Alter fuit *B. P. van Wesele Scholten*, *cui Dissertationem Philosophico-Criticam de Philosophiae Ciceronianae loco, qui est de Divinâ Naturâ*, debemus: alter vero *Petrus Nieuwland*, qui item *Dissertationem Philosophico-Criticam* conscripsit, cujus argu-

mentum est *de Musonio Rufo, Philosopho Stoico*. Utrumque hujus anni mense Aprili ad publicae defensionis honorem praeses produxit, et mox, recensendis hisce Dissertationibus, ipsorum meritis debitam laudem in Bibliothecâ Criticâ tribuit. Caeterum vero reliquum tempus domesticis studiis impendit, Plutarcho et Bibliothecae Criticae, cujus *septima* et *octava* pars deinceps brevi post prodierunt, et omnium eruditorum plausu exceptae sunt.

Interea vero temporis, dum Wyttenbachius in philosophiâ docendâ versabatur, inque eâ ut in rerum divinarum humanarumque scientiâ et laudatarum artium matre acquiescebat, Tollius, V. Cl., professionem Literarum magno cum laudis fructu tenuerat. Quum vero hic, deposito nunc munere suo, Hagam discederet ad erudiendos *Guilielmi* V, Serenissimi Principis Arausiaci, filios (augustissimum Regem nostrum ipsiusque fratrem natu minorem, in Italiâ mortuum), provincia ejus ab amplissimis Athenaei Curatoribus Wyttenbachio deferebatur. At nondum hic Orationem suam Inauguralem habuerat, quum ὁ πάνυ Valckenaerius Leidae anno 1785, mense Martio, diem suum obiret. Statim igitur Ruhnkenius, cui nihil Academiâ Leidensi carius erat, omnem operam dabat, ut Wyttenbachium, si posset, Amstelodamo abduceret, ac Leidam traduceret. Valckenaerio nimirum vix mortuo, adibat derepente Con-

sules Leidenses, cumque iis, apud quos multum auctoritate valebat, de Wyttenbachio in locum defuncti vocando agebat. Ipse de hoc negotio ad Wyttenbachium die 24 Martii haec scripsit: » *Heri de Te vocando egi cum Ill. Bleisvicio et Consulibus hujus urbis, iisque facile persuasi, ut Tibi stipendium* 2600 *florenorum, quo Professorum, qui nunc sunt, nemo fruitur, liberalissime decernerent. Omnes Te summo studio expetunt. Tu Tibi etiam atque etiam caveas ab istorum insidiis, qui omnia experientur, ut Te, aliquâ novi lucri spe ostensâ, retineant, magis quidem suâ, quam Tuâ causâ. Nam necesse est, Tuo discessu discipulorum numerum minui, quin ipsum Athenaeum ad pristinam conditionem recidere, praesertim si* Swindenus, *quod ocius serius futurum auguror, Leidam vocetur. Ubi enim Amstelodamenses, in hac ingeniorum penuriâ, doctores Vobis pares reperient?*" Ad hanc epistolam vero quum Wyttenbachius ita respondissent, ut sibi aliquot dies ad deliberandum necessarios esse diceret, Ruhnkenius longioris morae impatiens, die 4 Aprilis, praeter alia etiam haec rescripsit: » *Si scire vis, quale Tibi stipendium constitutum sit, dabuntur* 3000 *floreni. Haec certa et explorata sunt, quippe ex illustris Bleisvicii et Consulum auctoritate ad Te perscripta. Nunc Tuum erit decernere, quid Tibi faciundum putes. Non poterit res trahi diutius propter alios competitores.*" Jam vero, quemnam exitum habuerit

hoc Leidense negotium, ipse Wyttenbachius nobis enarravit: » *Valckenarius*, ait, *diem obiit insequente anno* (1785) *mense Martio, multis ille nominibus lugendus: et Literarum causâ, exstincto earum altero veluti lumine et oculo: et mei non minus caussâ, amisso altero doctore et amico, incrementorum meorum fautore atque adjutore. Huic nemo successurus erat, nisi quem Ruhnkenius commendasset: atque is me dudum Valckenario, ne ipso quidem nolente, successorem destinaverat. Ego quominus oblatam cathedram accipere vellem, factum est rerum mearum temporisque illius rationibus; quod in Amstelodamensi Athenaeo recens a Philosophiâ ad Historias, Eloquentiam, Literasque et Graecas et Latinas traductus, ampliorem, in quo excurrerem, campum nactus essem, nec minus urbis diuturnâ consuetudine, quam comitate magistratuum, tenerer. Si quid mihi tunc, repudiatae conditionis causâ, succensuit Ruhnkenius, hoc et breve fuit, et cum amore conjunctum, et vetere mox benivolentiâ obliteratum.*"

Repudiatâ igitur cathedrâ Leidensi, *Literarum Graecarum et Latinarum, Historiae cum Universae tum Patriae, Eloquentiae, Poëseos, et Antiquitatum*, professionem de XVIII Aprilis suscepit, et more majorum Orationem Inauguralem habuit, cujus argumentum fuit *De vi et efficaciâ historiae ad virtutis studium.* Atque ne cui mirum videretur, cur aut Philosophiae tradendae muneri et honori hanc

Literarum professionem anteposuerit, et in Athenaeo Amstelodamensi manere potius, quam in Academiam Leidensem abire voluerit, hujus rei rationes in exordio Orationis perspicue exposuit. » *A Philosophiâ*, inquit, *ad Literas traductus sum. Quâ in commutatione sentio fore nonnullos, qui, mei meorumque studiorum ignari, levitatis me et inconstantiae accusent, quibusque purgare me debeam in principio hujus Orationis, nec in eorum animis relinquere scrupulum, qui, ut ipsis ad audiendum, ita mihi ad dicendum obsit: quamquam non minus a meâ naturâ et ingenio, quam ab hujus loci auctoritate abhorret, ut ipse de me multa dicam. Ego cum loco non sententiam mutavi, neo Philosophiae cum professione studium amoremque deposui: immo, ut antea eam et colui et aliis tradidi, ita in posterum eam et colam et aliis commendabo. Sed fuit haec semper studiorum meorum ratio, quae in primis ad Historiam et Antiquas Literas referretur; ut in Philosophiâ diverterem, in Literis habitarem: ut in Philosophiâ haberem instrumentum, in Literis finem: ut in Philosophiâ mihi essent auxilia, in Literis robur et firmamentum. Quis igitur aut non intelligat, Literarum cognitionem semper mihi eo loco modoque fuisse, ut magis per eam, quam per Philosophiae cognitionem et mihi et aliis satisfacere possem? aut quis, qui illud intelligit, jure me reprehendat, quod Philosophiae Literarum professionem anteposui? Accedit alia caussa, eaque*

gravissima et cum rebus meis arcte conjuncta. Ego, cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera, tum per magnam ejusdem cum natali meâ patriâ similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur caussis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum judicio et voluntate me applicarem. Quare, si haec praecipue urbs mihi diligenda et colenda est, quidni eam et diligam et colam eo studiorum genere, quod ipse prae aliis praecipue studiis semper et colui et dilexi. Non est quod hoc loco quidquam dissimulem: non est quare animi sensum non aperte profitear. Dico, iterumque dico, me delatâ mihi Literarum professione, illud consecutum esse, quod semper et spectavi et optavi. Et, cum de ipsâ professione laetor, tum vero quod ea mihi obtigit et hac meâ aetate, aut florente, aut certe nondum inclinatâ, et hac in urbe, cui antea tantis necessitudinibus obstrictus, novo hoc munere, tamquam novo vinculo, obligatus sum."

Haec vero Literarum professio ipsi scholarum varii generis habendarum necessitatem imponebat. Aliis quidem scholis *Historiae Universalis* explicatio proposita erat: aliae ad *Scriptores Graecos et Latinos* interpretandos pertinebant: rursus aliae in *Antiquitatum* et Graecarum et Romanarum studio versabantur: et aliae denique *Historiae Literariae* dicatae erant. Et quandoquidem hisce

scholis per aliquot deinceps annos interfui, ab hac scriptione non omnino alienum puto, quâ ratione vir summus in illis versatus sit, breviter exponere.

In pueritiâ jam Wyttenbachius, uti supra vidimus, adhibitâ *Hubneri* Historiâ Universali, animo sibi paulatim historiae universae designatam quamdam formam impresserat, quasi thecam multorum pluteorum, in quâ suis locis materiam factorum aut jam cognitam servaret, aut postea cognoscendam reponeret. Quod sane saluberrimum consilium juvenibus ad imitandum satis commendari nequit. Ita enim se res habet, ut tum demum, si illa [illegible]ma animo bene concepta sit, cognitio factorum, suis temporibus locisque assig ata, firma lucidaque constet ac maneat: sin desit, obscura et confusa vagetur, atque tandem rursus sensim evanescat. Sed *Hubneriani* libri, perspicuitate descriptionis puerorum et indoctorum ingeniis plane accommodati, quum saeculi superioris initio ad medium viguissent, praesertim in Germaniâ, mox explosi sunt supervenientibus aliis aliorum deinceps auctorum operibus, quorum quaedam scientiâ historiae ex ipsis fontibus haustae valerent, dum alia potius stili commendationem afferrent. In priori genere numerare possumus *Johannem Christophorum Gattererum* et *Johannem Matthiam Schroekhium*: illum quamvis diligentem, tamen sine gratiâ frigidum: hunc ju-

cundum et juniorum aetatulis aptum narratorem. In posteriorum vero genere eos referendos censeo, qui more *Bossuetii*, causarum morumque notatione, arguto et sententioso stilo, philosophiae simul et eloquentiae speciem affectantes, disserunt aut declamant potius, quam narrant: veluti e Gallis *Millotius*, et ex aliis populis alii. Porro eorum, qui Latine scripserunt, merito principes habentur, *Sleidanus*, *Petavius* et *Cellarius*: quamquam in his quoque nonnihil desideres. Nam *Tursellinus*, quantum dictionis elegantiâ excellit, tantum rebus et judicio deficit.

Wyttenbachius igitur in historiâ tradendâ exemplum illustrium in Academiis nostris professorum, qui et antea floruerant, et tunc adhuc florebant, non sequebatur. Neque Tursellini, neque alterius cujusdam Compendio utebatur. Ipse librum conscripserat. Hunc nobis in scholâ dictabat, et deinde praecipua quaeque ex eo loca fusius explicabat, habitâ inprimis ratione perspicuitatis et ordinis tam in temporibus, quam in locis. Verissime enim statuebat, omnem historiae scriptionem et enarrationem duabus potissimum partibus contineri, quarum una cernatur in *copiâ* et *delectu*, altera in *ratione* et *oratione*. Jam vero his omnibus non dico perfecte, sed vel probabiliter satisfacere, rarae est ac prorsus egregiae facultatis. In priori parte ita versabatur Wyttenbachius, ut non nisi praecipua quaeque ex ingenti rerum factorumque, ut

ita dicam, acervo seligeret, eaque tantâ evidentiâ ac gravitate enarraret, ut auditores suâ veluti sponte intelligerent et sentirent, se per accuratam historiae cognitionem ad virtutem pariter atque sapientiam proficere posse. Atque eo jam spectaverat optimi viri Oratio inauguralis modo memorata. Nam ut historiam tamquam optimam virtutis magistram initio muneris sui commendaret, ejusque finem et fructum in eo potissimum positum esse ostenderet, ut non modo sapientiores, verum etiam meliores fieremus, eo ipsum impulerat observatio pervulgatae consuetudinis, quod scilicet animadverterat, plerosque ex historiâ non nisi oblectationem captare, actiones calamitatesque atrocissimas, ad quarum cognitionem in vitae usu et experientiâ ingemiscimus et cohorrescimus, in historiâ cum voluptate legere, lectasque cum risu aliis narrare, atque ita pravitati potius adsuescere, quam ab eâ averti. — Porro autem oratio (quem vulgo *stilum* vocant) erat nudâ et simplex, nullis quaesitis verborum flosculis ornata, sed naturali pulchritudine ac venustate commendabilis: qualis cum in Julii Caesaris, tum in Nepotis et paucorum similium operibus dominatur. — Et quod denique ad rationem s. *methodum* spectat, illa talis erat, qualem hodieque ethnographico-synchronisticam nominant. De celeberrimis quibusque populis, praesertim in Historiâ Antiquâ, sigillatim deinceps agebat, eorumque

res gestas in suas epochas et periodos dividebat, ita ut synchronismus, s. nexus rerum in idem tempus concurrentium, in singulis partibus facile appareret. Atque haec ratio mihi semper admodum placuit. Primum enim illa multum conducit ad Geographiae cognitionem sibi facilius acquirendam, sine quâ in Historiâ parum proficere possumus, et quâ tamen plerique tirones Academici, quod profecto dolendum, nimis destituti sunt. Deinde vero inprimis valet ad singulorum populorum historiam perpetuam melius percipiendam. Quod secus est in illâ solâ synchronisticâ qualicumque ratione, quam v. c. Tursellinus secutus est. Fac enim, aliquem legisse et relegisse illud compendium cum dictatis, quamvis eruditissimis, Perizonii, Wesselingii, Ruhnkenii, Saxii et similium, num propterea putemus, illum uniuscujusque populi antiqui res et historiam propriam tenere? Minime profecto. Primum enim Tursellinus, exceptis rebus Judaicis et Romanis, quas satis copiose enarravit, *reliquorum omnium populorum rebus non item suos cuique locos suamque et propriam historiam dedit, sed eas non nisi obiter ac subinde attigit.* Deinde vero, etsi hi summi viri has lacunas supplere, et singula apte nectere studuerint, (quod v. c. Ruhnkenium fecisse narrat Wyttenbachius, nec ego negaverim) tamen haec ipsorum supplementa, tamquam totidem membra, per totum opus dispersa sunt, et a juvenibus vix

aut ne vix quidem ita conjungi possunt, ut temporis ordo ubivis appareat, nec rerum series unquam turbetur, Quid multa? Uno eodemque et loco et tempore adolescentibus, ut ita loquar, tot dapes ex omnibus orbis terrarum partibus, ex Asiâ, Africâ et Europâ, simul apponuntur, ut copia ipsos inopes faciat. Sed quum de totâ hac historiae causâ alio tempore fortasse uberius agam; nunc satis sit referre ipsius Wyttenbachii de hoc argumento sententiam, proditam in Philom. Lib. II. p. 144. » *Judices exordium disceptationis ducunt ab interpretatione tituli, et recensione variorum officiorum meritorumque muneris historici. Plus, inquiunt, laboris facultatisque postulat, generalem plurium populorum, quam unius populi, Historiam conscribere: et plus item unius populi, quam unius alicujus temporis, belli et facti peculiaris: et unumquodque horum generum suam etiam habet meritorum varietatem. Primum sine dubio est officium veritas narrationis, nec tamen ea difficillimum. Multo enim difficilius est, eventus ex suis causis explicare, materiae partes suis temporibus, locis, mutationibus ita componere, ut quasi dramatica scena appareat, in quâ principes auctores propriam, et quasi vultûs, habitûs, ingenii, animique formam servent, eique convenienter et agant et loquantur: color porro universae narrationis accommodetur ad naturam argumenti, ad varietatem temporum, fortunarum, conversionum. Haec est facultas, quâ*

egregii auctores historiarum censentur, quâ lectorum animos capiunt, eorumque alliciendorum retinendorumque vim argumento suo adjungunt; itaque fructum historiae ampliorem efficaciorem-que reddunt. — Sane, hanc nobis sententiam judices probant; cum eâ tamen exceptione, ut teneamus, saepe difficillimum esse rerum gestarum veritatem scire, non solum in argumentis nondum aliorum scriptione auctorum tractatis, sed in tritis adeo ac saepius repetitis; veluti in Historiâ adęo Universali, quae dicitur, in quâ multi etiam nunc sunt loci nondum satis expliciti, nec ad liquidum perducti. Historicus autem si adfert simplicem, sed eam locupletem ac perspicuam, veritatis narrationem, eâ nos quidem contenti sumus; nec desideramus causarum explicationem, aut picturae dramatisve oblectamenta, nisi quatenus haec ex ipsâ veritatis cognitione exsistunt. Quod si vero haec ipse addidit scriptor, diserte significet: certe ita scribat, ut appareat, quid in ipsis factis et veritate insit, quid ipse de suo adjecerit: quam fidei sanctitatem in Antiquis, maxime Thucydide, Polybio, Plutarcho, Livio, Tacito, suspicimus. Nunc sunt, qui in historiâ scribendâ nil nisi disserant ac ratiocinentur, et rerum gestarum ignorantiam philosophando dissimulent. Quin quotidianâ in vitae consuetudine saepe nobis usu venit, ut quaerentibus ecquid publice novi acciderit, nil narrent, sed sua de rebus notis judicia expromant. Quibus merito reponamus: Da mihi res gestas et facta; ipse

habeo judicium, quo ex his causarum eventorumque cognitionem colligam."

Quid autem de *scholis Graecis et Latinis* dicam? Ipse Wyttenbachius in scriptis suis hoc argumentum accurate tractavit, et copiose explicuit. Primum materiam et formam harum scholarum his verbis descripsit: » *Sed quum quatuor fere sint partes, quibus Literae Graecae et Latinae constant, quae partes vulgo dicuntur et habentur, Historia, Antiquitates, Enumeratio ac recensio Auctorum, Linguae grammatica scientia: tribus illis prioribus vel extraordinarias, vel cum aliis scholis nostris conjunctas, damus scholas: quartae nobis partis perpetua est et ordinaria institutio, ut quae ad reliquarum trium intelligentiam et ipsius linguae ingeniorumque cognitionem, interpretandis Auctorum scriptis aditum aperit.*" — Erant vero hi Auctores partim poëtae, partim prosae orationis scriptores; quorum interpretatio *ita peragebatur, non ut eorum omnia opera enarrarentur, omnesque e commentariis copiae effunderentur, sed ut in praecipuis eorum scriptis legendis discentes exercerentur ad eam facultatem, quâ reliqua deinde Auctorum opera suo ipsi studio intelligerent.* Deinde eodem loco refert, cur tam prosae quam ligatae orationis Auctores sibi quotannis interpretandos sumserit, ubi ait: *Meum semper fuit judicium, utriusque orationis, et ligatae et solutae, scripta non minus in scholis, quam in virili aetate et reliquâ literatâ vitâ, tractanda esse. Qui solos*

legunt prosae Scriptores, horum ipsorum locos plurimos, ut e Poëtis ductos, non intelligent: ad multarum etiam prosae venustatum elegantiarumque sensum frigebunt. Contra, qui unice in poëtis versantur, ita paulatim ad carminum modum adhaerescunt, ut nil nisi canere velint: ut ad Atticam urbanitatem dictionisque lepores in Platonis Dialogis, atque in Aristophanis adeo Comoediis, torpeant: magis etiam hebetes sint in Philosophis et Oratoribus, ad ingeniosa dicta aut acute conclusa percipienda. Quamquam saepe animadverti, majore labore neglectam prosae, quam carminum, lectionem repeti, hominemque, ut ita dicam, mere prosaicum facilius ad Poëtarum, quam mere poëticum ad prosae Scriptorum, intelligentiam pervenire. Sed profecto utrumque eodem studio genus amplectendum est. Qui unice carmina sectantur, similes sunt iis, qui fontis amoenitate capti ad eum desident, ejusdemque aquis agros irrogatos fructusque proditos negligunt. Qui non nisi solutae student orationi, hi fructuum ubertate contenti non ad fontem respiciunt, cujus cognitione et usu agrum exhilarent, fructuumque proventum amplificent. Denique, si quis quaerat, quamnam Wyttenbachius viam et rationem in explicandis scriptoribus antiquis secutus sit, ille sciat, ipsum exemplo clarissimorum virorum, Hemsterhusii, Ruhnkenii et similium a diligente et accuratâ linguae et verborum explicatione Grammaticâ ad rerum interpretationem accessisse, eamque

pro re natâ modo ex Historiâ, modo ex Antiquitatibus, modo ex aliis aliarum doctrinarum disciplinis duxisse, adhibitâ ratione criticâ. Classicum omnino locum de hoc argumento in ipsius scriptis habemus, ubi legimus: » *Sed primum est omnium, ut docentes moneamus, quid sit interpretatio, quae ejus forma. Nam, licet ad ejus facultatem plurimum valeat exercitatio et usus, et vani sint, qui eam Dialecticis praeceptis contineri putent; haec tamen minime sunt negligenda. In rectâ quidem institutione, quam sequimur, certe profitemur, usui praemittenda est ratio, actioni cogitatio. Neque ita ad interpretandum accedere debemus, ut ipsum hoc interpretari, quid et quale sit, non perspicue diligenterque teneamus. Igitur* interpretatio *est oratio, quae efficit, ut alterius orationem intelligamus. Intelligimus alterius orationem, quando ei eumdem, quem ipse alter, adjungimus sensum. Hoc in Logicis nostris praeceptis tradidimus. Sed interpretationis, tamquam generis, duae sunt formae, Grammatica et Critica. Grammatica interpretatio judicat,* quid *Scriptor dixerit: Critica,* vere rectene, nec ne, *dixerit. Hoc in Bibl. Crit. Vol. III. P. I. p.* 10 *monuimus. Utriusque interpretationis, et Grammaticae et Criticae, duplex est argumentum,* materia *et* forma: *materia duas habet partes,* res et verba. *Ita utriusque interpretationis tria sunt quasi instrumenta:* Dialectica *versatur in formâ,* Linguae Ratio *in verbis:* Historica Doctrina *in rebus.*

Sed interpretando loco prior adhibenda est Grammatica, interpretatio, ex ejusque instrumentis primum Dialectica, cujus est officium videre quae nomina verbaque quibus nominibus verbisque jungenda, praeponenda, postponenda sint, omnino, quod vulgo vocant, quomodo locus construendus sit. Secunda accedit Linguae Ratio, quae Dialecticam ad leges et consuetudinem orationis ejus, in quâ scriptus est locus, adstringit et moderatur. Tertio est Historica Doctrina, quae omnem antiquarum rerum intelligentiam complectitur, et intra hujus fines et auctoritatem duo priora instrumenta continet. Criticae Interpretationis eadem sunt argumenta, eadem via, nec peculiariter de eâ dicere attinet."

Ex his igitur videmus, in scholis literariis habendis duplex Wyttenbachio propositum fuisse. A Grammaticâ primum interpretatione incipiens, expositis ipsius sermonis proprietatibus, discipulos suos ad rerum intelligentiam ducebat. Deinde Graecis Latine vertendis disciplinae suae alumnos docebat Latine scribere. Ad hujus autem linguae bene scribendae facultatem consequendam quum opus sit variis exercitationibus, illarum *Introductionem*, quam vocant, ex optimi magistri scholis quondam habitis edidi in Epist. Sod. Philom. p. 111. In his prima et praecipua est *Paraphrasis*, quae et *Metaphrasis*, Latine *Interpretatio*, vulgo *Versio* dicitur, cujus hoc est officium, ut non tantummodo Graeci auctoris sententia fideliter exprimatur, sed etiam

exemplum presse reddatur, et, quantum quidem salvâ Latinitate potest, forma atque compositio servetur. Itaque primum Graeca quasi ad verbum Latine aut ipse vertebat, aut discipulo vertenda proponebat: deinde animum ad id advertebat, ut discipuli intelligerent, quibus in locis Graeca et Latina proprietas differret: et tum denique hanc interpretationem ad Latinitatem conformabat. Et in scholis Latinis non tantum discipulis fontes Graecos indicabat, e quibus Romani sua sumsissent, verum etiam subinde verba Latina Graece vertebat, praesertim quum Graeca efficaciora essent, atque rem accuratius significarent.

In *Antiquitatibus Graecis* sequebatur Lamb. Bosium, in *Romanis* Christophorum Cellarium. Singula utriusque Compendii capita explicabat, perperam scripta corrigebat, omissa dictatis supplebat, et illa omnino addebat, quibus auditores ad rerum antiquarum cognitionem ac scientiam ducerentur, Denique in *Historiâ Literariâ* fere eodem modo versabatur, quo in Historiâ Philosophiae, ut antea dixi, versatus erat. Et quandoquidem ad discipulorum captum sese scienter accommodabat, utpote artem docendi optime callens, et diligenter animadvertebat, *quo essent auditorum ingenia gradu maturitatis ad partum studii, idque Socraticâ ratione cum ad nascendum eliceret, tum nascens juvaret, tum natum aleret ac moderaretur*; ipsius scholae tironibus similiter atque veteranis admodum fructuosae

erant ; et a multis juvenibus quotannis audiebantur.

Proximo anno (1786) erat Wyttenbachius Professorum Athenaei Amstelodamensis praeses. Forte in illud ipsum tempus incidebat Heidelbergensis Academiae saecularis annus quartus. Prorector igitur et Senatus inclytae illius Academiae ad haec Musarum sacra, quo majori solennitate peragerentur, aliarum regionum et terrarum Professores invitaverant, eumque honorem quoque Athenaei Amstelodamensis doctoribus habuerant. At vero hi, quum intelligerent, se sub finem mensis Novembris, quo tempore illud festum celebrandum esset, scholis habendis impeditum iri, quominus illi festivitati, quamvis lubentes, interesse possent, Senatui Academiae Heidelbergensis per literas grati animi sui sensus et absentiae futurae causam significanda esse statuebant. Hanc itaque provinciam suscipiebat Wyttenbachius, atque hac de re epistolam scribebat, cujus exemplar huic scriptioni inserere, et sic ad publicam notitiam perferre operae pretium duxi.

Magnifico Prorectori et Clarissimis Professoribus
Inclytae Academiae Heidelbergensis
Praeses et Professores Illustris Athenaei
Amstelodamensis
S.

Quo majorem literae Vestrae, V.V. C.C., nobis attulerunt voluptatem cum testificatione honoris ac benevolentiae, eo magis dolemus res

nostras ita comparatas esse, ut humanissimae Vestrae invitationi obsequi non possimus. In causâ est ipsum saecularis festi tempus, quod non in ferias nostras, sed in summas occupationes incidit. Nam quum Athenaei nostri haec sit ratio, ut in singulis doctrinarum generibus singuli sint Professores, nemo nostrûm abesse potest, quin locum suum vacuum relinquat; nec locus vacare potest, nisi magno cum studiosae juventutis detrimento. Quare Vos ita Vobis persuadeatis, V.V. C.C., nos, quamquam a Vobis absentes, tamen animis studiisque praesentes, ita in partem accedere laetitiae Vestrae, eique congratulari, ut praesentium hospitum magis congratulari nemo possit. Quod quidem nos et facere debemus benevolentiae erga nos Vestrae honoristque nobis habiti causâ: et lubentes etiam facimus peculiari quodam erga Vestram Academiam sensu et amore; quae omnibus cara esse debet amantibus bonarum litterarum, quarum illa per Europam renascentium altrix fuit praecipua. Faxit D. O. M., ut et hoc, et multa deinceps saecularia festa apud Vos agantur cum verâ laetitiâ, quae proficiscatur ex ipsius Academiae flore, prosperitate, salute! Faxit, antiquum illud et inclytum Heidelbergae nomen per omnes humaniores gentes et aetates celebretur! Fortunet res et consilia cum totius Academiae, tum singulorum Professorum ac sociorum, et qui nunc sunt, et qui postea erunt. Ita valete V.V. C.C., nobisque favete. Dat. Amstelod. d. 21 Sept. 1786."

Quid de civilibus istis dissensionibus ac discordiis dicam, quae sequente anno (1787) per omnes civium ordines manarunt, amicorum, affinium, cognatorum animos a se invicem abalienarunt, bellum partim domesticum, partim externum pepererunt, atque patriae nostrae haud exiguo detrimento fuerunt? Quum istarum turbarum causae sine juris Batavici et rerum anteactarum scientiâ recte intelligi nequeant, earumque exitus nemini non notus sit: dixisse hoc loco sufficiat, Wyttenbachium semper sperasse et optasse, ut, neutrâ parte victâ aut victrice, res ad conditiones veniret; atque, quum id non fieri posse videret, exemplo Attici ita in re publicâ versatum esse, ut civilibus fluctibus se non committeret, nulliusque voluntati se emanciparet, verum optimarum partium esset, h. e. iis faveret, qui non verbis prae se ferrent, sed factis ostenderent, patriae salutem sibi re verâ cordi esse. Atque hinc, sopitis utcunque istis discordiis, quum mense Octobri scholas suas rursus aperiret, his verbis auditores suos allocutus est:

« *Quod Deus bene vertat! Auspicamur denuo lectiones nostras, ad quas Vos hac frequentiâ convenisse gaudeo vehementerque laetor; praesertim his temporibus, ubi publicae calamitatis privatum cuique solatium quaerendum est. De quibus temporibus nec quomodo dicam, nec quomodo taceam, reperio: dicere me tamen eogit muneris officiique vis ac religio. Non*

est quod in memoriam Vobis revocem istas patriae miserias, quas ipsi recente memoriâ tenetis, vel oculis adhuc subjectas cernitis. Illud reticere non possum, quod he ipsum quidem Vos fugit, harum omnium calamitatum ac miseriarum fontem et causam esse in dissensionibus civilibus: cujus mali nisi ipsae radices evellantur, patria stare non potest. Quae vero est ratio hujus mali sanandi? Nimirum haec una est ratio, ut quisque bonus civis omnem in animo suspicionem voluntatemque injuriae deponat, suum sibi officium persequatur, atque ita communi patriae utilitati consulat. Itaque et nos, Carissimi Auditores, quandoquidem boni cives et sumus, et haberi volumus, ita conveniamus ad institutiones doctrinarum, ut prius omnes ex animis dissensionis, invidiae, odii reliquias abstergamus: et quandoquidem patriae ejusdem cives sumus, ejusdem patriae salutem nobis propositam habemus, ad communionem nos societatem et societatis charitatem conjungamus duobus gravissimis vinculis, altero amore patriae, altero studio doctrinarum. Curam reipublicae relinquamus, quibus ea mandata est, Patriae patribus; nos nostrum officium obeamus, Vos discendo, ego docendo. In hoc studio laborem operamque collocemus, in hoc omni animi contentione de victoriâ certemus: ita nos maxime vicisse existimemus, si maxime in doctrinarum scientiâ profecerimus. Ita certamen suscipiamus, quo nullum animis ingeniique nostris fructuosius, nullum patriae salutarius

esse possit. Duit ac fortunet D. O. M. Vobis hoc voluntatis propositum!"

Omisso itaque omni partium studio, optime se patriae consulturum arbitrabatur, si diligenter docendo juvenum ingenia excoleret, eorumque animos, quantum posset, virtutis amore imbueret. Atque profecto idem mihi de Wyttenbachio verissime scribere licet, quod ipse de Ruhnkenio scripsit: » *In scholis numquam de praesente Reipublicae statu loquebatur, nec diserte nec oblique: in quo multi sibi placent ac sapientes videntur: recte statuens, civilem prudentiam ultro exsistere e certâ Antiquitatum interpretatione, hanc unam debere tradere doctorem, non discentium judicia auctoritate partium occupare.*" Hinc quoque istae civiles turbae nihil quidquam detrimenti scholis Wyttenbachii afferebant. Athenaeum Amstelodamense tunc inprimis cum professorum famâ ac celebritate, tum discipulorum numero et frequentiâ florebat. — Caeterum vero pergebat Wyttenbachius omne a docendi munere vacuum tempus, more solito, domesticis studiis impendere, Plutarcho potissimum et Bibliothecae Criticae, cujus *nona* pars sub finem hujus anni prodiit. At quum antea nomen suum non sine ratione reticuisset, nunc jam auctorem hujus operis se profitebatur, scriptâ Epistolâ ad *P. Fonteinium* dedicatoriâ, in quâ Wyttenbachii ingenium, doctrina et Latine scribendi eximia facultas utrâque paginâ elucent.

Ruhnkenius, qui cum nemine lubentius de Literis loquebatur, quam cum Wyttenbachio, ipsum quovis anno invitare solebat, ut tempore feriarum paschalium Leidam veniret. Ac Wyttenbachius, qui, mortuo Valckenaerio, neminem alium habebat, quem magis coleret, quam Ruhnkenium, aut a quo plura discere posset, illam Ruhnkenii visendi, et cum ipso confabulandi occasionem fere semper grato animo acceperat. Initio igitur anni 1788 a Ruhnkenio rursus his verbis invitabatur: » *Ferias paschales ut Leidae apud nos degas, Te vehementer rogo. In agros vicinos excurremus, atque ambulando Te ita defatigabimus, ut ex pingui et obeso, qualem Te magis et magis fieri audio, gracilis tenuisque domum revertaris.*" Ruhnkenius nimirum minime ignorabat, Wyttenbachium Amstelodami vitam domisedam agere, ipsiusque animum recreatione, et corpus ambulationis crebritate indigere. Atque idem jam aliquot annis ante animadverterat peritissimus Parisiensis medicus, Lorryus, epistolâ eum adhortans, » *ut illis tot meritis, quibus publicam Literarum rem ornaret, hoc inprimis adderet, ut, dum aliis consuleret, sui ipsius memor sanitatem non negligeret, sed quotidie domo exiens, et animum et corpus modicâ ambulatione recrearet.*" Quod salubre consilium quamvis non plane neglexerit, vereor tamen ut illi satis constanter et assidue obsecutus sit. At vero, quomodocunque id sese habuerit, illud saltem satis certum est, Wyt-

tenbachium valetudinis causâ Leidam constituto tempore ire, ac Ruhnkenium convenire non potuisse. Mox enim in gravem morbum incidebat, eoque per binos menses ita conflictabatur, ut amici ac medici vitae ejus timerent, nec ipse, quamvis depulsâ morbi vi, nisi admodum tarde ac lente amissas corporis vires pristinamque sanitatem recuperaret.

Sub illud vero tempus, quo Wyttenbachius quodammodo revalescere incipiebat, ex Angliâ in Hollandiam veniebat *Thomas Burgessius, A. M., Collegii Corporis Christi Socius, vir in Graecis Latinisque Literis versatissimus, idemque editis compluribus doctrinae monumentis clarus.* Hic igitur Wyttenbachii visendi cupidus, statim e Ruhnkenio quaerebat, ubi Wyttenbachius esset. Tum, de eo certior factus, sese continuo in viam dabat, et in *Eemnessano* Wyttenbachii horto non tantum de multis aliis rebus literariis cum eo amice ac comiter confabulabatur, verum inprimis de Plutarcho, sumtibus Academiae Oxoniensis imprimendo, agebat, sequè illius negotii conciliatorem fore pollicebatur. Nam simulatque Plutarchi libellus *De Serâ Numinis Vindictâ*, studio Wyttenbachii emendatus, in lucem prodierat *Lugd. Bat.* 1772, et ad eruditorum Anglorum notitiam pervenerat, hi viri, editoris summam doctrinam admirati nihil flagrantius cupierant, quam ut Wyttenbachius in edendis Plutarchi operibus studium et operam porro positurus

esset, ac sese ad eum, si id facere vellet, copias Bibliothecarum Angliae deinceps transmissuros Ruhnkenio promiserant. Constat hoc ex epistolâ hujus viri ad Wyttenbachium anno 1772 scriptâ: » *Plutarchus tuus* (sunt verba Ruhnkenii) *quantâ cum ingenii et doctrinae admiratione ab omnibus, qui recte judicare possunt, exceptus sit, non dubito, quin multis multorum literis cognoris. Donaveram exemplum intelligentissimo harum literarum existimatori*, Claudio Salgasio, *quem prope solum, e genere literato, amicum dicere possum verum, et nullis simulationis involucris tectum. Is statim me jussit quatuor alia exemplaria Londinum mittere, ut Anglorum cupiditati satisfieret. Qui librum tuum ita probarunt, ut, si in Plutarchi edendi consilio persisteres, fidem suam* Salgasio *adstringerent ad copias Anglicarum Bibliothecarum submittendas.*" Praeterea vero aliquot scriptorum Graecorum editiones ex typographiâ Oxoniensi prodierant, in quibus excudendis operae necessariam solertiam non adhibuerant. De eo non tantum alii viri docti questi erant, verum id inprimis *Brunckius* animadverterat, vulgandis mendis in Euripide Musgravii relictis. Ergo Oxoniensis illius typographiae Delegati, Viri Illustres, suam quoque rem inprimis agi sentientes, cupiebant istam culpam, quam nonnullis malis editionibus proferendis contraxerant, quam accuratissime edendo Wyttenbachii Plutarcho veluti redimere ac compensare. Quo consilio

tres viros eruditos magnis praemiis invitaverant, qui munere Correctorum fungerentur, ac summam curam diligentiamque adhiberent. Hoc institutum maxime urgebat Episcopus Salisburiensis, cujus *Capellanus* tunc *Burgessius* erat. Qui, promissis suis stans, quum in patriam redilsset, statim cum Oxoniensis Academiae Vicecancellario agebat, et rem eo adducebat, ut sibi quamprimum significarentur conditiones cum Wyttenbachio communicandae, sub quibus Delegati editionem Plutarchi suis sumtibus *duplici* formâ, *quartâ*, uti dicitur, atque *octavâ*, excudendam in se recepturi essent.

Paucis itaque interjectis dierum hebdomadibus post discessum *Burgessii* ex Hollandiâ, primum veniebat ab ipso epistola ad Wyttenbachium, in quâ huic Delegatorum conditiones proponebantur, et Plutarchei negotii veluti janua aperiebatur. Hanc deinde epistolam sequebantur deinceps quaedam literae Viri Rev., *Randolphi*, postea Episcopi Oxoniensis, cui Illustres Delegati curam conficiendi cum Wyttenbachio pacti mandaverant. Verum interea temporis etiam Societas Bipontina, scriptoribus Graecis et Latinis nitide et emendate editis admodum clara ac conspicua, auctore potissimum *Heynio*, suas conditiones Wyttenbachio offerri curaverat. Et quum hae conditiones aeque honestae ac luculentae essent atque Oxonienses, Wyttenbachius, non nisi re accurate perpensâ et

consideratâ, has illis praetulit. Multum scilicet hac in parte apud ipsum valebat Curatorum Academiae singularis benevolentia in promittendis Angliae Codicum collationibus, tum vero etiam ipsius Academiae, opinor, nomen et ἀξίωμα. Atque profecto, si recordamur iniquam, duram et miserandam sortem, quam typographia illa Bipontina invasione et libidine Francorum militum postea perpessa est; ratio omnino postulat, ut reipublicae literariae gratulemur, quod Plutarchus Wyttenbachii apud Oxonienses in tuto, nec furiosorum hominum licentiae, uti alia illius typographiae opera, expositus fuerit.

Jam autem, quantum studii ac laboris ab eo inde tempore Wyttenbachius perpurgando exemplari Moralium Plutarchi impenderit, quantâque cum curâ et sollicitudine singula folia emendaverit, dictu incredibile est, atque fidem propemodum excedit. Exemplar, quo utebatur, Graeco-Latinum erat (anni 1624) in folio, cujus quaevis pagina in duas partes, vulgo *columnas* dictas, divisa erat: quarum altera orationem Graecam, altera interpretationem Latinam continebat. Exemplar vero illud hoc modo perpurgabat. Primum emendabat Graecam orationem ad fidem Mstorum, et necessarias correctiones partim inter ipsas lineas, partim in margine ad latus annotabat. Deinde corrigebat interpretationem Latinam, et id quidem cum ad sententiae veritatem, tum ad Latinitatis rationem. Quae omnia item

aut inter ipsos versus, aut in altero latere ab ipso scribebantur. Denique in infimo margine, qui satis latus ac largus erat, minutis literis non modo recensebat Codices, unde correctiones sumtae essent, verum etiam commemorabat illas, quae sibi quidem faciendae viderentur, sed quas in *contextum* recipere noluisset, quod non e Codicibus sumtae, sed ex conjecturâ natae essent. Ac quandoquidem singulas fere schedas in manibus habui, oculisque lustravi meis; affirmare sane possum, modo verum sit, quod fertur imprimis, *Doctos male pingere*, Wyttenbachium in eo valde indoctum fuisse. Omnia enim tam perspicue, terse ac nitide descripta erant, ut nihil umquam majori curâ exaratum viderim. Nec mirum. Optimo enim jure in Wyttenbachium conveniunt, quae apud Ciceronem de C. Sulpicio Gallo relata legimus: » *Quoties illum lux, noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane coepisset!*

Et vel sic tamen Wyttenbachius, quamquam in illo laborioso opere Plutarcheo summam diligentiam ponebat, eique quotidie multum temporis impendebat, Bibliothecae Criticae minime obliviscebatur. In ordinem redactâ posteriore parte *Animadversionum in* JULIANI *Orationem Primam*, curabat, ut *decima* Bibliothecae pars publici juris fieret, nec quidquam in illâ reperiretur, quod auctoris sui ingenio non dignum haberi posset.

Praeterea vero sub finem ejusdem anni in-

vitabatur a Bernensis Academiae moderatoribus ad ornandam in patriâ urbe Literarum Graecarum et Philosophiae Moralis cathedram. Cognati et affines ipsius nihil flagrantius cupiebant, quam ut illam vocationem acceptaturus esset, eumque multis literis rogabant, ut in patriam rediret, e quâ tamdiu jam abfuisset, et in quâ tamen non modo ipsius doctrina et eruditio maximi aestimarentur, verum ipsi etiam aditus ad amplissimos honores obtinendos pateret. Verum Wyttenbachius, etsi natalis soli valde amans erat, tamen ob amorem item suum erga novam et adscitam patriam id a se impetrare non poterat, ut Batavorum terram relinqueret, nec amplius operam suam in erudiendâ juventute Batavâ collocare pergeret. Qui nuntius de recusatione Wyttenbachii quum ad notitiam amplissimorum civitatis Consulum Athenaeique Curatorum perlatus esset, hi annuum ipsius honorarium *bis mille et ducantorum* florenorum *sexcentis* florenis augendum statuebant.

Proximum deinde opus, quo eruditam civitatem anno 1793 beavit, fuerunt *Selecta Principum Historicorum*. Quod opus quamvis, ut ipse in Praefatione testatur, *magis ad studiosae juventutis institutionem, quam ad virorum doctorum cognitionem, comparatum esset*; tamen his ipsis cum ob prudentissime et elegantissime scriptam Praefationem, tum propter optimae frugis plenas annotationes, quibus in calce auctum et exornatum est, admodum

gratum et acceptum fuisse omnino constat, nec aliquâ testificatione indiget. Quantopere autem nostratibus placuerit, et in quam multorum manibus sit, vel ex eo apparet, quod bibliopolae illud nunc jam *tertio* ediderunt.

Caeterum vero et hic et proxime sequens annus (1794) acerbum Wyttenbachio dolorem ac luctum attulerunt obitu egregiorum ipsique carissimorum hominum, *Schultensii* et *Nieuwlandii*, quorum animi cum ejus animo mire congruerant, et quorum altero usus erat amico, alterum habuerat primo discipulum, mox item amicum ac familiarem. Utriusque honorifice et pro meritis in Vitâ Ruhnkenii pag. 207 et alibi meminit.

Porro exarserat interea, post famosam nimirum Francici regni conversionem, calamitosum istud bellum, quo patria nostra a Francis occupabatur, et quo quid nobis acciderit, nemini ignotum est. Wyttenbachius igitur, *victricibus Francorum armis magis magisque appropinquantibus*, inprimis festinabat Praefationem cum reliquâ contextus parte Operum Moralium Plutarchi Oxonium transmittere, *antequam belli flamma muros* Batavorum *attingeret*, atque libera trajectio ex Hollandiâ in Angliam aut impediretur, aut penitus intercluderetur. Atque ille fasciculus, favente Neptuno, sub finem anni 1794 integer in manus Illustrium Delegatorum pervenit. Continebat vero totum opus Moralium, quemadmodum

Oxonii editum est, exceptâ parte eâ, quae complectitur Fragmenta, Spurios libellos, Animadversiones atque Indices.

Incidit mox, ut ipse ait, *sub initium anni* 1795 *altera rei publicae conversio, superiori illi ἀντίστροφος, ejusque vicem rependens.* Wyttenbachius, utpote *ἀεὶ ὁμολογούμενος ἑαυτῷ*, nunc rursus quoque eodem modo, quo septem annis ante, sese gerebat. Neutri scilicet adversariarum partium adhaerescebat. Populi concionibus, tunc inprimis haberi solitis, neutiquam se immiscebat, et ab omni rei publicae tractatione prorsus abstinebat; ardentissime optans, ut hi, quibus administrandarum rerum provincia publice mandaretur, suas partes religiose et ad communem civium salutem acturi essent. Atque licet nonnulli *τῶν πολυπραγμονούντων* eum, ut *ἀπεχόμενον τῶν κοινῶν καὶ τὰ ἑαυτοῦ πράττοντα*, bonae causae non satis favere crepuerint; tamen nemo in eum jure accommodare poterit legem Solonis, qui nolebat bonum civem *ἐν στάσει μηδετέρᾳ μερίδι προστίθεσθαι*. Nam profecto *τῇ πόλει προστίθετο*, patriam amplectebatur, siquidem, omisso partium studio, suum munus professorium diligenter obire, et juventutis ingenia doctrinarum accuratâ scientiâ excolere pergebat. Hac ratione patriae se optime consulere, et boni civis partes agere arbitrabatur.

Ita autem sentiens, atque aliis rei publicae tractandae curam honoremque iubens ac lae-

tus relinquens, minime haesitabat profiteri, *se reipublicae praesenti formae acquiescere, nec veteris restituendae suasorem adjutoremve futurum*, quum nimirum ista professio haud ita multo post publice omnibus imponeretur, qui muneribus cum stipendiis fungerentur. Utinam hoc exemplum viri docti ad unum omnes secuti essent! — Verum hoc secus fuit. Haud pauci id facere recusantes, vel ipsi sua munera ultro deponebant, vel illis publicâ auctoritate privabantur. Cujus calamitatis Academia Lugduno-Batava quoque expers non manebat. *Suis doctoribus orbabantur cathedrae, Juris publici, Graecarum Literarum, Physices et Mathematum.* — Ruhnkenius de Graecâ professione inprimis laborabat: *primum, retinendo qui eam deposuerat; tum, illâ spe frustratus, vocando novo doctore.* — Is autem novus doctor, quem Ruhnkenius ante omnes reliquos Leidam vocari cupiebat, Wyttenbachius erat. Omnem operam dabat, ut hujus voti sui compos fieret, atque discipulorum suorum optimus et dilectissimus in extremo vitae cursu sibi semper adesse posset. Quocirca Academiae Curatoribus suadebat, ut novam professionem conjunctione Historiae Philosophiae cum Literis Graecis pararent. Quod quum ipsis persuasisset, illa professio offerebatur Wyttenbachio cum *quatuor millium florenorum* stipendio. Verum frustra. Multis epistolis ultro citroque missis, quinetiam quibusdam sermonibus de hoc ne-

gotio habitis, tandem animadvertebat et sentiebat Wyttenbachius, se illam Leidensem vocationem accipere non posse. Igitur ad Ruhnkenium scribens, *neminem prudentem merito postulare posse; ut ex loco libero et soluto in adstrictum ac laboriosum, idque magno cum rei familiaris suae detrimento, sese conjiceret*, in ipsius offensionem adeo incidebat, ut hic nescio quid illiberalitatis ei imputaret. Sed cum Wyttenbachio persuasum esset, se cum ratione egisse, quumque Ruhnkenii amorem erga Leidensem Academiam nosset, cujus salutem ut bonus procurator nisi unice, certe maxime spectaret, illam illiberalitatis insimulationem ei benevole condonabat, nec durius quid reponebat, quod tamen pluribus de causis facere potuisset, satis habens, a tempore medicinam exspectare, neque dubitans, Ruhnkenium, sedato illo offensionis primo impetu, sponte se ipsum potius, quam alios, auditurum esse, atque ad probandas recusationis rationes adductum iri. Quod deinde, uti Wyttenbachius praeviderat, re verâ etiam eveniebat. Legimus enim in Vitâ Ruhnkenii: » *Offensionem diutius, quam pro vetere amore, in animo ejus haerentem tamen adventus meus, quum sexto inde mense, famâ de ejus morbo ad me allatâ, eum inviserem, ita abstersit, quasi numquam suscepta fuisset.*"

Quae vero rationes Wyttenbachium commoverant ad vocationem Leidensem recusan-

dam, eaedem fere magnam partem proximo item anno (1797) in causâ erant, quominus in vetere et nativâ patriâ Bernâ professionem Philosophiae sibi denuo oblatam accipere vellet. Urgebant quidem eum nunc magis etiam, quam antea, amici et cognati, inprimis ambae sorores, desiderio fratris motae, omnesque prae se ferebant, ipsius statum ob Reipublicae conversionem ac temporum difficultatem in Hollandiâ dubium et incertum esse, ipsumque ideo quamvis aliam conditionem, praesertim in natali patriâ, nunc lubentem accipere et arripere debere: at ille, omnibus accurate circumspectis cogitateque perpensis, tandem suis cum alia, tum haec fere respondebat: » *Laetor profecto Vos saluti meae prospicere velle: laetor item esse in patriâ eruditorum fautores, qui mei rationem, his praesertim temporibus, habendam esse statuant. Verum subductâ rationum summâ, meum potius, et omnium aliorum, quos in consilium adhibui, judicium, quam vestram voluntatem, mihi sequendum, et in hac statione mihi manendum esse statuo. Spes praeterea, nec illa obscura, ostenditur, melius brevi futurum. Si fallar, quod Dii avertant, fallar cum ratione. Multos inexspectatos casus humanae res habent, quos ratio nec praevidere, nec cavere possit. At rationem homines sequi debemus. Hanc secuti, quisquis fuerit eventus, conscientia recte diligenterque deliberati consilii nos consolabitur.*"

Ne vero quis forte quaerat, cur Wyttenbachius' suam Amstelodamensem stationem *liberam* ac *solutam*, oblatam sibi Leidensem contra ea *adstrictam* et *laboriosam* vocaverit, ab hoc loco haud alienum mihi videtur paucis referre, quam commoda et jucunda Wyttenbachii statio Amstelodamensis fuerit. Munere professorio fungebatur *libero*, h. e. nec Academici Senatûs difficultatibus et oneribus obnoxio, nec scholis de Literarum Humaniorum ambitu constitutis circumscripto. Quascumque vellet habere scholas, sive *Latinas*, sive *Graecas*, sive *Historiae* cum Universae, tum Literariae, sive denique *Antiquitatum*, tam Graecarum quam Romanarum, id ipsi omnino liberum et integrum in Athenaeo Amstelodamensi erat. Nemini Collegarum scholis suis vel minimum crumenae detrimentum afferebat. Nullius invidiam excitabat. Quo plures habebat, eo majorem gratiam apud Amstelodamenses inibat. Quemadmodum ipse Athenaei flore vigebat, sic Athenaeum scholis ejus florebat. Porro erat munus ejus professorium ab omni inanium officiorum lege ac necessitate penitus immune: totum referebatur ad unum institutionis opus: satisque temporis cum ad privata studia, tum ad laboris relaxationem ipsi relinquebat. Praeterea, quoniam longo temporis usu animadverterat, Literis honorem Amstelodami inprimis haberi, seque civibus suis satisfacere, et ab illis amari ac magni aestimari, indies

magis magisque Amstelodami radices agere coeperat, et ejusmodi quidem radices, quae non nisi gravi convulsione ipsius quasi trunci et corporis, nec non rerum externarum ingente jacturâ extrahi possent.

At vero has radices, temporis diuturnitate altissime actas, haud ita multo post, mortuo Ruhnkenio, tamen evelli, seque, ut ita dicam, in aliud solum transferri passus est. Quod quomodo evenerit, ut nunc exponam, temporis et rerum ordo omnino postulant. Neque dubito, quin aequi et boni lectores ex hac quamvis brevi relatione meâ intellecturi sint, Wyttenbachium in hoc negotio unice officium ac pietatem secutum esse, minime vero, quod nonnulli invidi et malevoli obtrectatores crepuerunt, crumenae suae consuluisse.

Quum igitur Ruhnkenius, mense Maio, anni 1798, diem supremum obiisset, relictâ infelice familiâ, defuncti superstites amici quovis modo illi calamitosae domui opem ferendam esse statuebant. In his quoque erant Curatores Academiae Lugduno Batavae, qui pollicebantur, sese causam familiae Ruhnkenianae suscepturos, modo Wyttenbachius voluntati ipsorum obsequi, atque, confecto negotio, Leidam migrare vellet. Hoc nuntio Amstelodamum perlato, videbat Wyttenbachius, rem eo venisse, ut utraque conditio conjungeretur, et serio deliberabat, quid sibi faciendum esset. Quocum primo id communicaret, *Boschius* erat. Hic vero ad ipsum con-

tinuo accurrebat, *docens, monens, postulans, ne luculentam stationem, urbem gratam, et quasi adoptivam patriam, multos sui et amantes et studiosos relinqueret.* Deinde alii quoque amici ad eum veniebant, rogantes, ut Amstelodami maneret, ubi ipsius merita ab omnibus, qui aliquid saperent, grato animo agnoscerentur. Denique eo accedebat Epistola studiosorum Athenaei juvenum, qui magistrum etiam atque etiam orabant, ut ne Athenaeo valedicturus Leidam migraret. Habebat illa profecto magnam vim ad dubium Wyttenbachii animum magis etiam commovendum. Postero enim die discipulos suos in scholâ ita allocquebatur: » *Non debeo committere, quin Vos hac lectione frequentes appellem de re, quae ad Nos omnes pertinet. Magnum hesterno die mihi dedistis documentum amoris erga me Vestri benevolentiaeque, quod ego tacitus praeterire nullo modo possum. Legastis duos ad me ex vestro ordine sodales, qui Literas mihi vestrorum omnium nominibus scriptas ac subscriptas traderent, quarum literarum hoc erat argumentum, Vos audivisse, me Leidam suscipiendo muneri professorio vocatum de eo accipiendo deliberare, Vos igitur omnes vehementer optare, ut, si fieri posset, praesentem oblatae stationi praeferrem, et apud Vos manerem. Quae Vestris respondi sodalibus, eadem ad Vos praesentes itero. Omnino ita se res habet. Jam duo, et quod excurrit, sunt menses, quod Leidam invitor magnâ sollicitatione, magnâ item*

hortatione virorum doctissimorum, quorum apud me plurimum valet auctoritas. Res quidem mihi non amplius est penitus integra, nec tamen captum est consilium. Quod quum in eo essem ut jamjam caperem, ecce supervenit vestra epistola, et legatio cum significatione vestrae erga me caritatis ac benevolentiae, quâ, quod vere possum dicere, inde a longo tempore nihil jucundius ad animum meum accidit. Igitur hoc vobis, affirmo, hanc vestram significationem magnum apud me in capiendo consilio pondus, magnumque momentum habituram. Caeterum quicumque mei consilii exitus, aut domicilii locus futurus sit, vobis ex animo polliceor, me semper operam daturum, ut vestro amori respondeam, vestrisque utilitatibus, commodis studiisque serviam."

Quam cara igitur Wyttenbachio disciplinae necessitudo fuerit, et quomodo communem illam discipulorum benevolentiam et caritatis significationem amore vere paterno exceperit, ex hac allocutione sane quam manifestissime apparet. Atque propterea magis etiam viri constantiam et animi magnitudinem admirari debemus, quam in perficiendo consilio suo tam luculenter demonstravit. Quid enim quaerebat Wyttenbachius, qui, ut antea Leidensem cathedram aliquoties sibi oblatam recusaverat, nunc quoque illius minime cupidus erat? Quid desiderabat, quum honorificentissima Amstelodamensis statio omnia ad εὐπορίαν et εὐδαιμονίαν conducibilia

ipsi largiter suppeditaret? Nihil profecto aliud quaerebat, nihil aliud spectabat, nisi ut familiae Ruhnkenianae honesta ratione consuleret atque prospiceret. Eo omnis viri cura et sollicitudo tendebant. Hic ipsi labor, hoc ipsi opus erat. — Quid igitur? — Quum sese hujus voti non modo compotem fieri non posse videret, verum etiam omnem operam suam omnino irritam fore sentiret, nisi stationem Leidensem acciperet, ac Ruhnkenio succederet; tunc profecto neque amicorum rogationibus, neque discipulorum precibus, neque ullis aliis omnino lenociniis se a proposito suo abduci passus est. Immo honestatem et officii pietatisque sancte servatae conscientiam multis illis ac magnis commodis vitaeque suavitatibus anteposuit, quas Amstelodami per tot annos perceperat, seque Leidam venturum pollicitus est, quamprimum inter Academiae Curatores ipsumque de conditionibus convenisset.

Quis hic non agnoscit veritatem effati Ciceronis, ubi dicit, *nos multa facere amicorum causâ, quae nostrâ causâ numquam faceremus?* At vero quam gratus et acceptus ille nuntius de futuro Wyttenbachii adventu in Academiam Leidensem amplissimis Curatoribus fuerit, vel ex eo inprimis intelligi potest, quod non modo, quae ad vocationis peractionem pertinerent, continuo a Curatoribus susciperentur, nec de die, ut subinde fit, in diem protraherentur, verum etiam quod

mox ad effectum adducerentur, quae antea frustra tentata erant. Nam non nisi posteaquam Wyttenbachius certo affirmasset, se Curatorum Leidensium vocationi obtemperaturum, evenerunt illa, quae in Vitâ Ruhnkenii his verbis relata legimus: » *Curatores Academiae persuadebant Senatui Reipublicae Batavae, ut Ruhnkenii librariam supellectilem, locupletem illam cum optimis libris, tum ipsius adversariis et scriptis, tum vero ineditis Veterum codicum exemplis, vindicaret adderetque bibliothecae Lugduno-Batavae, pretiique loco vectigal annuum viduae filiabusque duabus, quingentos in singulas florenos, constitueret.*"

Attamen, interea dum haec agerentur, fatalis quaedam necessitas Wyttenbachium, nihil tale opinantem, admodum afflixit. Filia natu major sororis ejus, quae Hanoviâ Amstelodamum venerat, et avunculi rem domesticam administrabat, in Eemnessano ejus horto correpta acutissimo morbo intra paucos dies in ipso juventutis flore opprimebatur. Qui casus quantopere optimum virum affecerit, ex his ejus verbis optime cognosci potest: » *Habuit hic ipse annus* (1798) *multa mihi privatim tristia et adversa, cum alia, de quibus dicere non est opus, tum duo acerbissima ad animi mei dolorem funera. Primum, ipsius Ruhnkenii obitu, quantopere me commoveri fas fuit? quo amisso, simul et parentis affectum, et doctoris lumen, et amici fidem, et familiaris jucunditatem, et omnino maximam vitae*

suavitatem desidero. Deinde, quum ex hoc me dolore aliquantum erigere, eumque vitâ viri conscribendâ solari coepissem, ecce! domesticum incidit vulnus! suavissima et filiae instar dilecta neptis, rei meae familiaris et adjumentum et ornamentum, in ipso juventutis flore, funesto morbo intra paucos dies domi meae exstinguitur. Qui casus sanequam suâ gravitate me vehementer perculit."

Jam autem ab eo inde tempore, quo Wyttenbachius, pietatis officium expleturus, Leidam abiit, ipsius vitae extremus quasi actus incipit. In quo quos et quales partes egerit, nunc jam nobis videndum erit.

Ergo post *duodetriginta* fere annos, Amstelodami in summâ studiorum vitaeque tranquillitate transactos, cathedram Leidensem accepit, et quidem iisdem titulis, quibus Amstelodamensem in Athenaeo obtinuerat. Vocatus enim est *Professor Eloquentiae, Historiae, cum Universalis, tum Literariae et Philosophiae, Antiquitatum, Literarum Humaniorum, et Graecarum et Latinarum*, nec non *Bibliothecarius*; idque *cum honorario quinque millium florenorum, et onerum Academicorum immunitate.* — Hoc novum munus die 4 Maii 1799 auspicatus est Oratione aditiali, *De adolescentiâ* DAVIDIS RUHNKENII, *in exemplum propositâ adolescentibus Batavis bonarum artium studiosis.* — Quod argumentum sane et tempori, et loco, et rebus Wyttenbachii valde accommodatum erat. Ruhnkenius enim non

modo decessor, magister, amicus et alter veluti parens Wyttenbachii fuerat, sed illius etiam merita, cum generatim in rem literariam, tum singulatim in Academiam Lugduno Batavam, tanta exstiterant, quanta potuerint maxima. Atque idcirco non satis mirari potui levitatem istorum, quos primum magnopere illius Orationis argumentum probasse, sed postea idem illud tamquam auspicandae cathedrae parum conveniens culpasse scio. Verum tanta est subinde nonnullorum hominum animi varietas, ut ipsi nescire videantur, quid quaerant, aut sibi velint, atque ut ita levitate suâ ipsi suam simul stultitiam vel ultro prodant. Etenim quis non exclamet, talia audiens, *O curas hominum! o quantum est in rebus inane!* Atque propterea etiam Wyttenbachius optimo jure isti malesedulorum homuncionum vanitati non nisi πλατὺν γέλωτα opponebat, eosque ipsos tamquam pueros ludere, et longâ in arundine equitare sinebat.

Quum vero universa Literarum Humaniorum professio ipsi a Curatoribus mandata esset, id sibi inprimis agendum censebat, ut huic muneri suo, quoad posset, quam religiosissime satisfaceret. Quâ de causâ veterem illam in docendo viam, quam Amstelodami per tot annos summo cum fructu et maximâ intelligentium approbatione tenuerat, item Leidae sequebatur. Quadruplicis generis scholas habebat; quarum aliae ad Historias,

aliae ad Literas Graecas, aliae ad Literas Latinas, et aliae denique ad Antiquitates pertinebant. Atque omnino satis constat, Wyttenbachium suâ eruditione ac docendi solertiâ has scholas, quae sub adventum ejus fere exstinctae et propemodum intermortuae erant, rursus ad vitam revocasse, Literarumque disciplinam in Academiâ Lugduno Batavâ ad pristinum florem adduxisse, ita ut haec, ipso in eâ Literarum Humaniorum professionem administrante, neque famae commendatione, neque alumnorum uberrimo proventu cuiquam alteri Academiae facile cederet.

Attamen vix dictu credibile est, cum quot et quantis difficultatibus Leidae aliquamdiu luctandum Wyttenbachio fuerit, qui Amstelodami in summâ vitae felicitate vixerat, et perpetuâ tranquillitate, nemine ei invidente, nemine eum obtrectante, suas partes egerat, suum officium secutus erat, et de quamplurimis bene meruerat. Nam non modo ante adventum ejus in Academiam Leidensem jam multorum animi adversus eum occupati, et varii rumores maligni ab inimicis de eo sparsi erant, verum etiam postea multorum ingratum animum saepius expertus, et a malevolis passim petitus est. — Potuisset quidem initio aliquam illarum difficultatum partem evitare, si nimirum istis artibus uti voluisset, quibus haud pauci indoctae ac levioris multitudinis favorem ac plausum venari et captare solent; sed ipsius natura ab omnibus istiusmodi do-

losis machinationibus penitus abhorrebat. Se suamque existimationem non nisi recte factorum conscientiâ et diligente institutionis disciplinâ tueri volens, in id unice incumbebat, ut doctis ac melioris notae juvenibus quam maxime prodesset. In horum benevolentiâ et caritate acquiescens, vulgivagos obtrectatores excelso animo despiciebat, eorumque injuriam patienter ferebat.

Primum doctrinae monumentum ab ipso post mortem Ruhnkenii editum hujus viri *Vita* fuit. Illa enim Oratio aditialis, cujus modo memini, non separatim excusa, sed huic scriptioni tamquam particula ejusdem argumenti inserta est. — Verum facta hujus *Vitae* mentione, plane ignoro, quid et quomodo de eâ dicam. Num laudes ac merita ejus praedicem? Hoc non modo longe longeque supra virium mearum mediocritatem esse, ultro ac lubens fateor, verum etiam ne opus quidem esse videtur. Exteri pariter atque nostrates cum in ephemeridibus, tum in aliis scriptis, hoc Wyttenbachii opus tamquam suis numeris absolutum veluti certatim laudarunt. Interim tamen hoc unum silentio praeterire nolim, quod mihi fide dignus testis aliquando narravit. Quidam nimirum Ruhnkenii amicus, civitatis Lugduno Batavae magistratus curulis, idemque vir et eruditissimus, et in muneris sui officiis obeundis diligentissimus, hunc librum legens, suavitate ac praestantiâ ejus adeo delectabatur et tenebatur, ut legendo

satiari non posset, nec tempus eundi in Senatum sibi jam adesse animadverteret. Igitur arcessitus, ad amicum sibi obviam factum dicebat: » *Hodie expertus sum, quod numquam antea mihi accidit. Legi illam fabulam Milesiam Latine scriptam, quae a Wyttenbachio sub nomine* Vitae Ruhnkenii *edita est, ejusque lectio me adeo cepit, ut non nisi admonitus et vocatus domo exierim in curiam.*" Quod quamvis lepide ac jocose dictum, quam vere dictum sit, non statuam. Etenim licet quis forte contendat, in illo libro plures digressiones, quamvis elegantissimas et eruditissimas, at digressiones tamen, exstare, quae ad Ruhnkenium non proxime pertineant, et idcirco ejus titulum omnino mutandum esse censeat; tamen eum *Fabulam Milesiam* appellari nolim. Potius, et fortasse majori jure, *Historia Literaria aetatis Ruhnkenii* vocetur: Sed suum quisque hac in re sequatur judicium. Equidem malo librum, cui in titulo non promissa insint, quam cui promissa desint. Caeterum, quod ad *Vitam Ruhnkenii*, quam legi, relegi, excerpsi, et propemodum edidici, illam mihi quam plurimum ad doctrinae fructum profuisse, semper gratissimo pectore agnoscam, nec prae me ferre unquam desinam.

Interim biennium praeterierat, nec Plutarcho manum admoverat Wyttenbachius, quum ante fere quotidie in illo exornando occupatus fuisset. » *Quum*, inquit, *conscriptâ*

jam priore parte, ad alteram conscribendam accederem, incidi in quasdam temporum vel difficultates, vel varietates, quae me in proposito opere retardarent. Obiit Ruhnkenius noster: ego Leidam migravi: nova negotia, literata et illiterata, μουσικὰ et ἄμουσα: tum adversa fortuna fasciculi chartarum Plutarchearum in Britanniam missi, in itinere amissi, diu desiderati, jam conclamati, denique post duos annos et dimidium ab interitu retracti. Quae mihi fortuna, irreparabilis jacturae dolore, diu taedium fecit operis Plutarchei persequendi, nec nisi tarde ac sero ejus studium renasci sivit." Quae paucis verbis relata aliquanto fusius exponam.

Priores fasciculos chartarum Plutarchearum tradiderat Wyttenbachius anno 1794 Legato Britannico stationem Hagae Comitum habenti; hujusque beneficio et humanitate salvi deinde et integri in manus Illustrium Delegatorum Oxoniensium pervenerant. Sed quum quadriennio post, bello inter Britannos ac Batavos interea exorto, non amplius hac opportunitate frui posset, nec sua multorum annorum studiis ac lucubrationibus elaborata scripta temere bellicis periculis et potae hominum maritimorum libidini exponere vellet; se rursus per epistolam convertebat ad *Randolphum, V. R.*, quocum solo hucusque de negotio Plutarcheo egerat, eumque rogabat, ut sibi certam vecturae viam indicaret, quâ Plutarchi scripta, quae parata haberet, mi-

nimo cum periculo in Angliam pervenire posse judicaret. Erant autem illa scripta, *Fragmenta* Plutarchi; porro libri de *Fluminibus*, *Nobilitate*, *Homero*, *Proverbiis*, *Metris*; et denique *Praefatio ad Animadversiones* et *Disputatio de spuriâ auctoritate libri* Περὶ τῶν παίδων ἀγωγῆς.

Accepto responso, mittebatur mox anno 1798, ex sententiâ Illustris Delegati, cistula pice oblita, et omni solertiâ adversus maritimi ninieris injurias undique munita, Hamburgum ad clari nominis et mercaturae laude insignem ac florentem virum, *Rowohl*, qui eam Honoratissimo Equiti *Crawford*, Legato Britannico, Oxonium mittendam traderet. Quae quum Hamburgum venisset, ac Legato Britannico, mense Novembri, salva et incolumis tradita esset; Rowohlius de eo statim Wyttenbachium certiorem faciebat. Hic igitur, nullâ interpositâ morâ, per epistolam a Randolpho V. R. petebat, ut sibi, acceptâ cistulâ, rescriberet, nec nimis diu in incerto esse sineret. Ad quam vero epistolam quum Randolphus V. R. non responderet, certe Wyttenbachius nihil responsi acciperet, alteram, tertiam, et plures deinceps ad eumdem V. R. mittebat. Verum frustra: Oxonio nulla responsio Leidam afferebatur. Eo fiebat, ut Wyttenbachius, diuturni istius silentii pertaesus, non sine ratione crederet, se irreparabile damnum missis in Angliam scriptis suis fecisse, ut ad nomen Plutarchi tremor ejus

artus oconparet, neque omnino a se impetrare posset, ut hd opus depositum demuq inchoandum accederet. De qua calamitate sub finem anni 1800 haec ad me scripsit: » *Ností me chartas Plutarcheas cistulae diligenter inclusas ante hoc biennium misisse Hamburgum, illasque salvas et inbolumes illuc venisse. Sed quid iis postea acciderit, plane ignoro. Ad complures meas epistolas, plenas illas sollicitudinis, quas Oxoniensi Episcopo misi, hic omnino surdus et immotus mansit. Igitur has schedas meas in itinere intercidisse, meque irreparabilem jacturam fecisse, nisi subitem Britanniam certe literis non ampliùs urgebo*; quippe meas voces littora aurda bibunt. *Et quum conscriptio illarum chartarum totius quadriennii improbo labore mihi constiterit, egoque illas altero tanto temporis denuo confiecre nec possim, nec velim; operaque Plutarcheae finem facere constituí.*"

Verum istam rei literariae imminentem calamitatem Fortuna omnino avertit. Quum enim Wytenbachius continuis amicorum flagitationibus, ut nimirum a proposito sub desisteret, tandem commotus esset, ipsiusmque suasu ad plures preli Oxoniensis Delegatos uno eodemque tempore literas dedisset, eosque obsecrasset et obtestatus esset, ut suam auctoritatem interponerent, ac quoquo modo efficere studerent, ut cistula amissa omni sedulitate indagaretur, et ex fuga quantocyus retraheretur; tandem evenit, ut indefesso

principum virorum Britanniae studio illa, quum duos annos et dimidium Hamburgi in angulo nescio quo latuisset, ex latebris in lucem produceretur, et producta Oxonium, mense Maio anni 1801, salva perveniret. Quo nuntio Randolphus V. R. beavit Wyttenbachium, haec ad eum scribens: » *Tandem aliquando, Vir optime, de cistulâ Tuâ tamdiu desideratâ. Te prorsus securum esse jubeo, et omnem sollicitudinem deponere. Etenim ea penes me est, curâ et humanitate Illustrissimi Ducis de* Portland *hesterno die ad me delata. Neque in tanto itinere, vel potius in tantâ itineris morâ quidquam detrimenti passa est: immo nitent omnia tamquam recenter descripta.*"

Sic quidem igitur Plutarcho, ut dixi, biennium et amplius periit, at vero nec Academiae, nec Wyttenbachio periit; quippe cui nihil prius et antiquius erat, quam disciplinae suae alumnis viam indicare, quâ ad veram Literarum scientiam pervenire possent, eosque variis praeceptis erudire, et ad humanitatem informare. Per illud enim temporis intervallum, quum sibi haud paucos bonae indolis et discendi cupidos juvenes obtigisse videret, non modo Historias et Antiquitates accurate ac copiose illis explicuit, suamque institutionem in Graecis Literis diligente optimorum scriptorum interpretatione ornavit, verum etiam scripta Ciceronis philosopha *De Legibus*, *De Officiis*, *De Senectute*, *De Amicitiâ*, *Paradoxa* et alia,

nec non quosdam poëtarum libros ad scholarum usum accommodavit, *et in scholis suis interpretatus est ad eum modum, qui fere novae editionis instar esset.* Quo sane evenit, ut non modo isti invidi obtrectatores, qui ejus disciplinam labefactare, ejusque auditorium, nisi ad vacuitatem, certe ad infrequentiam redigere manibus, ut ajunt, pedibusque conati erant, sese turpiter deceptos et elusos viderent, verum etiam ut ipse ex discipulorum suorum progressibus summam voluptatem ac dulcissimam studii laborisque sui mercedem perciperet. Atque quantâ benevolentiâ illos melioris notae juvenes ob literarum communionem amplexus sit, quantoque hi vicissim amore ipsum pro disciplinae necessitudine prosecuti sint, ex singulorum, tam magistri quam discipulorum, scriptis adeo manifestum est, ut sane nemo eorum hac in parte alterius cujusdam testimonio indigeat. Erant vero in illâ cohorte, et, ut ita dicam, in illo flore discipulorum, quibuscum tunc tanta et disciplinae et benevolentiae necessitudo Wyttenbachio intercederet, cum alii naturae et morum bonitate admodum spectabiles juvenes, tum autem duo, ipso quîdem judice Wyttenbachio, ob eruditionis quoque praestantiam inprimis laudabiles, nobilissimus *F. G. Lyndenus* et ornatissimus *Ph. G. Heusdius:* ille egregiâ *Disputatione Historico-Criticâ De Panaetio Rhodio*, hic eximio *Specimine Critico in Platonem*

clarus. Neque profecto ignotum est, quanti Wyttenbachius horum amborum factos in Literis progressus aestimaverit. Non modo in Bibliothecâ Criticâ et alibi utriusque laudes ex merito praedicavit, verum etiam in Epistolis ad amicos ipsorum honorificentissimam mentionem fecit. In manibus habeo scriptam a Wyttenbachio epistolam ad *literarum laude florentissimum* quemdam virum, in quâ haec leguntur: » *Mitto Tibi duo munuscula: alterum* Disputationem *de Panaetio, disciplinae meae alumni, studiosae nostrae juventutis et nobilitate et doctrinâ principis, qui mirificos fecit in Literis nostris progressus, ut non dubium sit, quin brevi tempore ad illum gradum eruditionis perventurus sit, ut inter principes literarum viros nomen ejus celebretur, modo ab interpellatoribus non avocatus continuo eumdem cursum tenuerit: alterum* Specimen Criticum *in Platonem, cujus auctor item ex disciplinâ nostrâ prodiit, quique futurus Platonis, ut spero, sospitator erit, in Trajectinâ Literarum cathedrâ* Saxio *et* Segario *successit, et, quamvis nunc jam quidem illam Academiam ornat, in posterum tamen majori etiam ornamento erit.*"

Licet autem, ex quo tempore ipsum Episcopus Oxoniensis de allatis in Britanniam chartis Plutarcheis certiorem fecerat, ad reliquam operis partem conficiendam subinde sese dederit, ac multa quidem moverit, tamen initio parum promovit. Ipse hoc tes-

tatur in Epistolâ ad Heusdium his verbis: » *Quinque sunt anni, quod Ruhnkenius obiit: quatuor, quod Lugdunum migravi. Horum quinque annorum quotam partem putas me Plutarcho tribuere potuisse? Sex menses, ne hos quidem continuos. Hoc sex mensium spatio confeci Animadversiones in Moralium pagìnas priores centum, a libello De Educatione ad Consolationem Apollonii. Et hucusque profeceram, quum ecce, denuo belli tempestas intonat, post brevem pacis usuram nondum recreatâ patriâ, immo tamquam primae quietis dulci somnio lactatâ et mox excussâ.*" Loquitur autem de pace *Ambianensi*, quam alio loco eleganter dicit *nos magis somniasse, quam percepisse.*

Quomodo autem ab illo inde tempore, quo in gratiam cum Plutarcho redierit, in illo studio versatus sit, non melius, nisi ipsius Wyttenbachii verbis, me referre posse opinor: » *Caeterum*, inquit, *ex quo me ad instaurandum opus retuli, bipertitas feci pensorum vices, hibernas et aestivas: ut per has ruri Scriptores quosdam, maxime Plutarchi habitâ ratione, relegerem et excerperem: per illas in urbe et justâ librorum copiâ animadversiones Plutarcheas conscriberem. Sed habet utrumque pensum suas retentiones et quasi inhibitiones. Nam in relegendis Scriptoribus nonnumquam sunt, qui me per aliquot menses teneant, ut illis tractandis tantum operae impertiam, quantum vix plerique eorum editores*

impertivisse videntur. Et in animadversionibus quivis fere versus nobis manum injicit propter frequentiam, saepe etiam obscuritatem, doctrinae Plutarcheae, nec progredi nos patitur, nisi ei curam et diligentis interpretis officium adhibuerimus. Ita fit, ut, quo accuratius agere velimus, eo plus temporis insumendum sit: moveamus multum, parum promoveamus." Scriptores vero, quos Wyttenbachius, quamvis antea jam lectos, hoc tempore Plutarchi gratiâ denuo se relegisse dicit, inprimis *Philo Judaeus*, *Athenaeus* et *Plotinus* fuerunt. Mense Septembri a. 1804 haec ad me scripsit: » *Commentarium Plutarcheum perduxi usque ad libellum* De superstitione, *quem primum tractabo in hibernis, quod unum est tempus Plutarcho destinatum. Hanc rusticationem dedi* Philoni Judaeo *retractando, quem ante hos triginta annos jam legi. Atque hac iteratâ lectione animadverti multa ab aliis nondum animadversa, quae partim ad orationis emendationem, partim ad sententiae interpretationem pertinent, et a me aliquando edentur. Est enim Philo perdoctus sane et disertus scriptor.*"

Sed quum longi et laboriosi operis perpetua continuatio plerisque omnibus hominibus tandem molestiam et taedium creare soleat, neque quidquam magis e re doctrinarum studiosi cultoris sit, quam omni curâ et solertiâ evitare, ut ne sibi tale quid accidat, prudenter sane scripsisse censendus est Wyttenbachius, ubi dicit: » *quando non possumus quod volumus,*

debemus velle agere quod possumus, observare opportuna ad agendum tempora, ubi excitari nos et alacriores ad laborem fieri sentimus, eaque tempora subito se offerentia subito arripere ac sequi, sepositis, quoad ejus fieri potest, ordinariis negotiis." Atque hoc praeceptum non verbis tantum commendavit, verum factis quoque probavit. Quotiescunque animum suum, si Plutarcheae materiae tractatione defatigatus esset, novâ quadam scriptione recreare vellet, genio suo hac in parte statim obsequebatur, et ab illo opere ordinario ad aliud deinceps et aliud extraordinarium, tamquam ad quoddam πάρεργον, transibat; nec tamen unquam τοῦ ἔργου obliviscebatur.

Huic igitur studiorum varietati debemus *Epistolam* ad *Heusdium*, quam anno 1803 scripsit, et in quâ cum summi amoris significatione de illo *Specimine Platonico* gratulatur discipulo suo, atque non modo ipsius eruditionem merito laudat, verum etiam suae ipse juventutis recordans, suaviter enarrat, quomodo olim Platonis amore captus fuerit, et editionem illius philosophi sibi quondam informaverit. Quæ omnia tam eleganter, tam copiose ac diserte describuntur, ut hebes omnino censendus sit, quem illa Epistola non admiratione praestantissimi viri impleat. His porro variandis laborum vicibus editionem *Phaedonis* acceptam referimus. Quum sentiret, muneris sui officium et rationes pos-

tulare; ut Platonem in scholis interpretaretur, atque illius exemplaria non adessent, frustraque e Germaniâ arcessita essent; subito animi ardore incitatus ad illud opus statim accessit, et istum quam maxime aerumnosum ac taedii plenum laborem corrigendorum speciminum typographicorum lubens pertulit, quamvis altero oculo jam adeo laborans, ut subinde a legendo et corrigendo desistere cogeretur. — Denique ad Bibliothecam Criticam animum advertens, *Age*, inquit, *ad eam absolvendam tandem quoque accedamus! Urget debiti religio: debemus et lectori et bibliopolae absolutionem inchoati libri, et Boschio nostro, optimo viro, munusculum.*" Quâ semel susceptâ scribendi voluntate, erat, quod vulgo dicitur, ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον. Non modo *undecima* pars illius operis mox prodibat, sed sequentis quoque haud exigua portio scribi coeperat.

Britanni interea, ignari eorum, quae Wyttenbachius ageret, Plutarchi absolutionem avide exspectabant. *Randolphus*, V. S. R., hoc popularium suorum flagrans desiderium Wyttenbachio his verbis significabat: » *Crescit in dies apud omnes, qui in hac regione Graecarum Literarum studiosi sunt, de statu et progressu laborum tuorum cura et anxietas, interrumpi editionem Plutarchi aegre ferimus, prelo eam redonari maxime optamus.*" At Wyttenbachius fortunam adversam prioris epistulae adhuc probe recordans, et praeterea intelli-

gens, intercluso commeatu non nisi magno cum periculo quidquam in Britanniam a se mitti posse, hoc transmittendarum chartarum negotium in tempus magis opportunum, aut ad pacem confectam rejicere malebat. Verum mox superveniebant aliae rursus ab Episcopo literae, in quibus de vecturae via ac ratione haec scripta erant: » *Quod ad Plutarchum attinet, gaudemus valde, Te inter tot moras, tot tantisque negotiis implicitum, eo usque processisse, et longe maximam partem Commentariorum Tuorum in Primum Volumen confecisse, ita ut preli nostri labores redintegrari possent, quod maxime optamus, si vecturae ratio satis certa reperiri queat. In hunc finem itaque sedulo operam dedi, ut viam aliquam invenirem, quae Tibi satisfaceret. Unicus erat quaerendi locus inter mercatores, qui jam nunc commercium, si non liberum, at non nullum, nec leve illud exercent, nec de vecturae securitate in rebus quantivis pretii diffidunt. A mercatore igitur Londinensi didici, se habere amicum et negotiorum participem Amstelodami,* Jacobum Kramer, *cui si concedatur aliquid illius generis, ipsum apud se fasciculum retenturum, donec occasio daretur tuto illum ad nos transmittendi; esse autem eum virum, cui tuto credi possit. Penes Te est de ejus honestâ famâ Te ipsum certiorem facere, aut etiam ipsum adire, et ex ipso sciscitari de vecturae naturâ et securitate.*"

Ad has plenas benevolentiae et humanitatis

literas Episcopo, V. S. R., mox haec rescribebat Wyttenbachius: » *Sub idem fere tempus, quo proximas Tuas, Vir S. R., literas accepi, scripsit ad me* Jacobus Kramer, *mercator Amstelodamensis, sibi et facultatem et voluntatem superesse hujus missionis procurandae. Quid ei responderim, fortasse ex ipso per alios cognoveris: neque tamen facere possum, quin Tibi quoque, Vir S. R., referam et disertius explicem. Nondum mihi ex memoriâ excidit, neque unquam vivo excidet, quantum adhuc laboraverim de fasciculis Plutarcheis in Britanniam transmissis, cum omnibus, tum praesertim illo per Hamburgensem difficultatem intercepto. Et nunc nonnulli spectati prudentiâ et negotiis mercatores nostri mihi recipiunt de transmissione, nec tamen sine periculo et exceptione. Et ipse ego satis intelligo, quanto nunc pluribus, quam antea, apud nos exportatio et navigatio difficultatibus casibusque subjecta sit. Optandum erat, ut nostris chartis incolumitas praestari posset, eâ cautione, quam negotiatores nomine* assecurationis *usurpant. Nunc illa ratio non cadit in nostram materiam, ut unicam et irreparabilem: cujus solvendae una superest cautio, ut ejus exemplum describamus, quod apud nos servemus. Hoc feci ante hos undecim annos in Praefatione Plutarchea. Habebam, qui scriberent; habebam unde scribentibus mercedem solverem. Mutatae jam sunt res nostrae. Ut sint, qui scribant, non est unde solvam: certe res meae tantum dispendium non*

ferunt. Igitur si apud Vestrates Literarum Graecarum studiosos, ut scripsisti, tanta est, exspectatio et quasi flagitatio Commentarii nostri, atque, ut ita dicam, — — tantus amor chartas cognoscere nostras; spero fore, ut Illustres Viri Delegati huic desiderio extraordinarium sumtum sexaginta librarum Anglicarum gratificentur. Haec enim summa eroganda erit in describendi mercedem totius reliquae partis. Hoc si Viris Illustribus placuerit, mihi et significaverint, et syngrapham miserint, quâ pecunia mihi numeretur; statim negotium dabo scribis, ut intra paucos menses, quantum paratum erit Commentarii ad Vos mittatur. Paratus autem erit commentarius ad totum Primum Volumen. Quâ de sententiâ quid statuerint Viri Ill., ut me primo tempore certiorem facias, Te, Vir S. R., etiam atque etiam rogo."

Verba non data esse Wyttenbachio, atque Britannos re verâ nihil magis cupivisse, quam ut commentarius Wyttenbachii Plutarcheus primo quoque tempore ad publicam notitiam produceretur, et sic flagranti multorum desiderio satisfieret, hoc vel ex eo constat, quod, simulatque Episcopus rogationem Wyttenbachii cum Illustribus Collegis suis communicasset, hi illam statim ad unum omnes ratam haberent. Testis mihi est ipse Episcopus, quem mense Julio 1803 haec ad Wyttenbachium rescripsisse video: *Nunc me sollicitum habet Commentarii Tui Plutarchei, in quantum eum elaborasti, ad nos deportatio. Non possum*

certe non laudare consilium istud, quo exemplum ejus describere, et apud Te servare destinasti, ne in unâ jacturâ tota res periclitaretur. Concedo etiam libenter, si res Tuae tantum dispendium non ferant, aliorum ope et auxilio necessitatem istam sublevari oportere. Itaque non moratus sum hanc Tuam petitionem Delegatis nostris referre, qui decreverunt, sumtum istum extraordinarium sexaginta librarum in describendi mercedem ex suis reditibus tibi gratificandum esse, et mandarunt dimidium istius summae statim in hunc usum erogari, reliquum, prout opus fuit, erogaturi."

Confectâ hac pactione, mandabat Wyttenbachius continuo scribis negotium describendi, et mittebat sub finem anni cistulam Amstelodamensi illi mercatori *Jacobo Kramer*, cujus viri honestissimi curâ ac diligentiâ Oxonium salva et integra mense Martio anni 1806 pervenit.

Temporis series nunc me cogit infandum renovare dolorem. Novimus initio subsequentis anni, die 12 Januarii 1807, horrendam cladem vastasse Leidam urbem, quum navigium pulvere pyrio oppletum exardesceret, terribilis flamma inde erumperet, unoque fatali ictu aedificia adeo percuterentur, ut fere ad mille partim corruerent, partim labarent, eorumque ruinis centum et quinquaginta homines obruti perirent. Domus Wyttenbachii ne ducentos quidem passus ab illo loco aberat, ubi infernale istud navigium

disruptum fuerat. Ut igitur quivis facile intelligat, quamvis ipse salvus cum familiâ e praesente periculo evaserit, tamen domum, supellectilem et libros ejus multum detrimenti accepisse. Ipse mox testis istarum miseriarum fui, Leidam quum venissem visurus, num quid magistro et amico meo accidisset. Quaerens ex eo, quomodo se haberet, » *Non aegroto*, inquit, *sed supellex omnis mea diffracta, bibliotheca stillicidio inquinata, et adversariorum magna pars dispersa est. Sed quae ego passus sum leviora et parva sunt prae aliorum damnis.*"

Vix vero istius nefasti et exitiosi diei tristis nuntius ad exterorum aures pervenerat, quum multi amici ad Wyttenbachium scriberent, scire cupientes, quo loco et statu esset. Ipse quidem in scriptis suis istius dirae calamitatis mentionem faciens, pollicitus est, se isti enarrandae singularem locum daturum; sed aliis rebus nimis occupatus hoc consilium perficere non potuisse videtur. Quum vero *Sanctocrucium* unum ex illis amicis fuisse sciamus, qui ex Wyttenbachio cognoscere cupierit, quid ipsi illo calamitoso die evenerit, egoque epistolam ejus ad Sanctocrucium in manibus habeam; spero me saltem aliquâ ex parte lectoribus satisfacturum, et illam Wyttenbachii promissionem, quae exitu caruit, quodammodo compensaturum esse, si epistolam illam publici juris faciam. En igitur ejus exemplum:

» *Complura deinceps, amicissime Sanctocruci, a Te accepi epistolia peramanter scripta, amantissime postremum, in quo de salute meâ quaeris. Equidem ad tantum Tuum erga me affectum tantamque sollicitudinem quominus citius responderem, factum est rerum mearum perturbatione, quae ne nunc quidem satis mihi vel otii, vel animi, vel omnino facultatis ad scribendum concedit. Cumque sub idem tempus plures amici mei exteri et longinqui, nuntio cladis nostrae perculsi, mihique timentes, a me per literas peterent, ut sibi quamprimum significarem, quo loco et quâ conditione essem, Tu, mi Sanctocruci, mihi primus es, cui impertiam, si quid ad scribendum copiae viriumque suppetit, et literarum officium praestem. —*

Dies erat XII Januarii mensis ultimus feriarum brumalium, quas ego conscribendis annotationibus Plutarcheis impendebam. In bibliothecâ libri omnes ad praesentem usum necessarii, maxime adversariorum, per pulpita expliciti, praesertim sub fenestris. Haec ita reliqueram ad prandium abiens, ut mox ad opus rediturus. Ecce! sedeo cum nepti ad mensam: sonitus ad aures accidit inusitatus ac terribilis, veluti multorum simul tormentorum. Derepente tectum vicinae domus corruit: fenestrae nostri conclavis diffringuntur: inde grandine vitreâ verberamur. Surgimus, fugimus in viam publicam, sequentibus famulo et ancillâ, item excitatis. Vicini item ad januam quique suam, mirantur: multi vulnerati partim profugi e

domibus, partim adhuc inclusi ruinis, lamentantes, auxilium clamantes: saucii per viam currentes. Nondum ortus et causa mali apparet. Mox conspicimus viciniam, inde a centesimo a nobis passu collapsam, eamque ruinam quoquoversus late patentem: et nostrae tamen aedes adhuc stabant: nam erant ad Occidentem cladis, indeque veniens ventus ictum magis ad Orientem ferebat: et statio navigii istius stygii, quod pulveris pyrii plenum exarserat, ictumque exitiosum viciniae intulerat, non nisi centum et octoginta passus a meâ domo distabat; multaque aedificia duplo ac triplo etiam longiora corruerant. Nondum videram, quid ante pedes esset. Via publica strata et sparsa chartis: tollo unam: agnosco manum meam: et omnes erant meae: colligimus eas: suspicio sursum ad fenestras bibliothecae meae, quae primo in tabulato ad viam publicam spectabat: cognosco fenestras fractas et introrsum conjectas, chartas adversariorum vehementiâ ictûs ex pulpitis sublatas, in viam disjectas. Regredimur in domum, ut, quid intus acciderit, videamus, conclavia omnia quassata; fenestrae, januae, omnis supellex vitrea, porcellanica, lignea etiam politioris operis, horologia, lychni, patinae, omnia diffracta: tectum totum disjectum: partes quasdam, in his auditorium, collapsas. Veremur, ut tutum sit, intus manere: fabri affirmant, in duobus conclavibus adhuc quidem tutum esse. Itaque mansimus ad finem Januarii: primum, sine tecto, fenestris, januis, per octo dies; ut

et ipsi pluviâ, nive, frigore, vento, male vexaremur, et reliqua supellex, lintea et stragula vestis pessime mulctaretur: inprimis bibliotheca mea, quae per duas noctes stillicidio misere affecta est. Interea exspectantes, dum domus reficiatur, fabri nos differunt. Vicinae deinceps aedes quassatae et ruinam minantes diruuntur jussu aedilium. Harum casu ne nostra labefactetur, timent. Missis militibus, jubent nos vicinosque domus suas relinquere. Panicus terror meorum domesticorum, cujus ut vanitatem equidem intelligebam, ita rumore excitati amici, ad nos advolantes, suadent abire et pretiosissima quaeque ad se asportare. Ego, quamvis reluctans, tamen voluntati eorum obsequens, quaedam in sarcinas conjicio, ipsisque servandas trado. Per hanc tumultuationem alia adhuc salva mihi perierunt; in his crumena cum sexcentis florenis. Neque eo secius domum habitavimus adhuc per quindecim dies, sedate ac sensim quotidie sarcinas componentes, et navigio impositas in suburbanum hortulum devehentes: ubi nunc dego; statis diebus in urbem veniens ad habendas lectiones: caeterum, rebus ordinandis, et explicandâ disponendâque bibliothecâ, complures libros, etiam adversariorum chartas, annotationes in auctores Graecos et Latinos desiderans. Et sane experior, verum esse, quod mihi permulti narrarunt, nec tunc credere poteram, multas meas schedas, sub infernalem ictum, vento in locum cladis et rudera delatas esse.

Habes quae ad me attinent, optime Sanctocruci: quae ego Tibi scripsi, quia jussisti. Nam re vera piget pudetque me ista narrasse, quae puerilia et meae nugae sunt, si cum aliorum casibus comparentur. Perierunt ad 150 homines ruinis aedium obruti: in his duo professores, Kluitius et Luzacius: ille, mihi amicus, ingentem copiam Historiae Medii Aevi et rerum Belgicarum collectam a se edere cogitabat, quae cum ipso periit. Luzacius ambulans oppressus est corruente domo amici cujusdam, ad quem salutatum ingredi parabat. Et hunc ex animo lugeo, communis calamitatis causâ: et magis etiam doleo, eum talem erga me fuisse, ut eum non tanto, quanto Kluitium, affectu dolere possim. Horum obitum cogitanti, semper mihi in mentem venit, quod apud Plutarchum in Consolatione ad Apollonium de Theramene proditum exstat, eum, collabente coenaculo, caeteris convivis oppressis, solum servatum exclamasse, O fortuna ad quod me tempus conservas? et paulo post a sodalibus suis tyrannis interfectum esse. Quicquid fiet, aequo animo feramus. Interea facere non possum, quin saepe cogitem: Quare ille periit, non ego? Si ventus a contrariâ parte venisset, non ille periisset, sed ego. Ergo gratias agamus rectori ventorum et totius omnino naturae; per reliquum tempus et vitae spatium eum veneremur, officio nostro fideliter fungendo: cujus mihi pars erit, literis operari, et amissa adversaria supplere. — Quod

autem de Bibliothecâ Academiae quaeris, nihil periit, nisi qui libri commodati erant iis, quorum domus collapsae sunt.".

Atque haec quidem minime scribebat Wyttenbachius commiserationis movendae causâ, sed quod Sanctocrucii erga se amore ad scribendum provocatus erat. Quamquam enim communis calamitatis haud levis pars fuerat, tamen magis aliorum sorte dolebat, quam quidem suâ, utpote se jam satis beatum putans, quod sanus ac salvus ex istâ cum maxime praesente malo evaserit. Ipse hoc testatur, scribens ad celebrem Germaniae Professorem: » *Ex triplici bonorum genere duo potiora, animi et corporis, salva agnosco: in rebus externis desidero libros, adversaria, magnam supellectilis partem, et crumenam pecuniâ numeratâ plenam, quae vel ipso casu ac tumultu amissa, vel insidiatorum fraude surrepta est. Quae tamen omnia, duorum potiorum beneficio bonorum, aut reparentur facile, aut certe obruantur.*". Caeterum aliunde satis certo scio, ipsum praeterea quatuor schedulas fenebres amisisse, quas tabellario publico Amstelodamum ferendas tradiderat.

Sed collapso auditorio, ac totâ domo ruinam minitante, quaerebat quidem statim Wyttenbachius aliam domum, aut certe quaedam cubicula, sed in istâ omnium rerum perturbatione nihil reperiebat, quamvis permagnâ habitationis mercede promissâ, quod conducere posset. Ergo necessitate coactus

cum omnibus e naufragio servatis rebus ac bibliothecâ in suburbanum hortum commigrabat, quamvis praevidens, illam rusticationem suis difficultatibus minime carituram esse.

Quum interim Professores scholas suas instaurare properarent, ne longiore illarum intermissione res Academicae majus etiam detrimentum caperent, nec Wyttenbachius huic officio deësse vellet, quamvis loco ad scholas habendas idoneo destitutus; in auditorio philosophico Academiae publico lectiones suas habuit. Subsequente autem anno, quod illud auditorium publicum aliis professorum negotiis subinde inservire deberet, amplissimi Academiae Curatores ipsi, utpote bibliothecario, non tantum duo conclavia in Novae Bibliothecae domo assignarunt, verum etiam pro vecturâ quotannis ei trecentos florenos tribuerunt, ne injuriâ temporis in professorio munere suo obeundo impediretur.

Isto autem atro die 12 Januarii in animadversionibus Plutarcheis conscribendis usque ad pag. 392 in libro de EI Delphico pervenerat. Atque postea ruri libros suos lustrans et in pluteos digerens, Plutarcheumque apparatum colligens ac recensens, magno quidem gaudio afficiebatur, animadvertens, ex illo nihil quidquam sibi periisse, sed ad repetendum opus, quamvis cupiens et saepe conans, accedere non poterat. Adeo ipsi in auribus et animo infixus haerebat iste ful-

mineus ictus ac fragor, quo perculsus et de Plutarcho dejectus fuerat. Verum ne interim nihil ageret, ad alia scribenda et edenda se conferebat. Primum bibliopolae gratificans, alteram editionem SELECTORUM *Principum Historicorum* fecit, eamque *Supplemento Annotationis* auctam, et mendis typographicis quam diligentissime purgatam. In quo posteriori negotio strenuum adjutorem habuit *Janum Bake*, tunc optimum disciplinae suae alumnum, et nunc eximium ipsius in Graecâ cathedrâ successorem. Deinde, edendâ Parte *duodecimâ* Bibliothecae Criticae, illi quidem operi finem et fastigium imposuit, sed sese ingratae litis exposuit. Quamvis enim illa Epistola ad Virum Nobilissimum *F. G. Baronem van Lynden de Philosophia Kantiana*, quae huic ultimae Parti praefixa est, quam plurimis viris doctis in Germaniâ, illa Philosophiae Kantianae matre, placuerit, et quidam clarissimi nominis Professor ad Wyttenbachium anno 1809 scripserit: »*His ipsis diebus novissimum volumen Bibliothecae Tuae Criticae, quod opus plurimos in Germaniâ lectores, totidemque admiratores quot lectores, habet, summo cum fructu, nec minore voluptate legi; sed hanc quidem imminuit hoc, quod ultimum esset. At nihil me hercule ingeniosius, nihil elegantius illo dialogo Tuo de philosophiâ, in quo omnes, quibus eum legendum dedi, ambigui haerebant, utrum magis argumentandi vim, an suavissimam in ejusmodi*

argumento eloquentiam, an leporem denique, per totum opus fusum, admirarentur:" sed quamvis, inquam, hoc ita fuerit, tamen illa Epistola quoque in nonnullorum vituperationem incurrit. Et quantopere ipsa paucis Kantianae philosophiae sectatoribus in patriâ nostrâ bilem moverit, satis notum est, nec denuo repetere quidquam attinet. Equidem enim voluntariae oblivioni lubens omnem istam odiosam litem trado, quae inde postea exorta est, et cui ipse etiam implicitus fui. Missis omnibus istis, quae vel levissimam ansam novae altercationi dare possent, atque, uti in aliis doctrinis, ita quoque in philosophiâ suum judicium unicuique liberum relinquendum esse statuens, huic loco convenientius duco, referre, quae Wyttenbachium paucis annis ante finitam Bibliothecae Criticae scriptionem ad *Eichstädtium*, Virum Clar., *de munere censorio* scripsisse video: » *Tu, quo es ingenio, mox intelliges, censorium illud in literis negotium afferre illud quidem factitanti aliquam cognitionem librorum, sed magis variam et vagam, quam certam et accuratam: neque ullum fere esse scriptorum libri, nec editorem antiqui auctoris, quin is suum argumentum melius perspectum habeat, quam quivis doctus censor; quippe hic ad quodvis novum opus ipse novus involare cogitur, et, ut fit, in novitatis sensu, rebus parvis magnisque pariter movetur, multa ut magna et gravia monet, quae scriptor editorve, in ipso argumento quasi habitans, tam-*

quam levia ac trita omiserat. Equidem velim institutum iter legendorum deinceps veterum scriptorum potius tenuissem, quam ad Bibliothecam Criticam scribendam accessissem; quamquam hujus scriptio me non penitus avocavit ab illo lectionis itinere, sed tamen retardavit." Verum licet haec retardatio fortasse Wyttenbachio aliquantum obfuerit in persequendo illo lectionis itinere, quod sibi proposuerat, tamen Literarum cultoribus plurimum profuit, idque ob egregia illa opera, quae, cessante lectione, composuit, quibusque summae eruditionis famam merito sibi peperit.

Quum autem Academiae Curatores in locum Luzacii, τοῦ μακαρίτου alium Professorem vocandum statuissent, seque idcirco ad *Heusdium*, V. Cl. convertissent; Wyttenbachius, de eo certior factus, non tantum Heusdio omni ratione suadebat, ut Leidensem cathedram acciperet, verum etiam ei promittebat et affirmabat, ipsum sibi ut antea discipulum, ita nunc collegam gratum et acceptum fore, seque ipsi totam professionem Graecam concessurum, ut eadem inter ipsos esset munerum descriptio, quae inter Ruhnkenium et Valckenaerium fuisset. Verum frustra. Tanta non erat in Wyttenbachio πειθανάγκη, ut Heusdium ad cathedram accipiendam permovere posset. Hic cum ob alias sane causas, tum quoque ob multiplices suavitates, quas ipsi statio Trajectina praebebat, Leidensem repudiabat.

Post hanc itaque insperatam Clar. Heusdii recusationem quum alius Professor quaerendus esset, cui vacans cathedra recte offerri ac mandari posset, atque *Hieronymus Boschius*, Vir Ampl., probe perspiceret, in novo illo Professore constituendo Academiae laudem et existimationem magnopere verti; idem quoque non sine ratione censebat, eligendi collegae arbitrium Wyttenbachio potissimum relinquendum esse, cujus praecipue res ageretur, et cujus permagni interesset ad vitae suavitatem, quis in alterâ cathedrâ Literarum poneretur Professor, siquidem ipsi cum illo vivendum, agendum, et ad communem finem, ad Academiae Leidensis florem, contendendum esset. Quae sententia quum reliquis Curatoribus, Viris Ampl., aequa et justa visa esset; ex consulto ipsorum mandabatur Boschio, ut communiter cum Wyttenbachio novum Professorem, celebratae eruditionis virum, Academiae vindicaret.

Primum per literas a Boschio rogabatur, Wyttenbachio consentiente, *Immanuel Gottl. Huschkius*, Professor Rostochiensis, num Leidam venturus esset, si vocaretur. Huic enim, utpote viro Graece doctissimo, et cathedrae tuendae maxime idoneo, non modo uterque favebat, sed ipse quoque jam antea, anno 1794, Leidam vocatus fuerat, etsi tunc, nescio quibus de causis, fortasse civilis dissensionis metu, cathedram

sibi oblatam auspicari recusaverat. Et quum Huschkius, Vir Cl., ad hanc novam invitationem respondisset, se vocatum conditionem accepturum esse, Curatoresque ipsum probassent; nihil aliud agendum restabat, nisi ut Curatorum praejudicium a Rege confirmaretur. At hoc propter Regis absentiam continuo fieri non poterat.

Interim vero, ad finem vergente feriarum tempore, instabat scholarum initium, et programma Lectionum proximo anno Academico habendarum proscribendum erat. Wyttenbachius igitur, de consilio Regis et exitu rei incertus, se in scholis Graecis Euripidis Hippolytum et D. Jacobi Epistolam interpretaturum profitebatur. Sed paucis diebus post, quum certum nuntium de Huschkii vocatione a Rege sancitâ accepisset, statim aliud programma dabat, in quo declarabat, se Historiam Literariam Graecam ex ipsis scriptorum operibus haustam discipulis dictaturum et expliciturum esse. Quod ipsius consilium eo valebat, ut et Huschkio sua professio integra servaretur, nec tamen usque ad ejus adventum institutio Literarum Graecarum prorsus vacaret. — Praeterea per epistolam Huschkio ex animi sententiâ de novo munere gratulabatur, eique affirmabat, sibi ipsius adventum pergratum fore. Verum ad haec Huschkius nihil quidquam rescribebat. Et idcirco ex isto silentio Wyttenbachius non tantum colligebat, ipsum Leidensis cathedrae non valde

cupidum esse, verum etiam scribebat ad amicum suum Boschium, sub finem mensis Decembris 1807: „*Volim omnia experiaris, ut Huschkius Leidensem cathedram accipiat. Ego feci quod potui: scripsi ad eum medio mense Septembri, affirmans se mihi gratum collegam fore: nec ille rescripsit. Amplius hortari nolo; ne me suasorem inducat, si forte ad nos delato ei statio displicuerit.*" Atque profecto eventus deinde docuit, praesensionem Wyttenbachii veram fuisse. Etsi enim mox aliquot deinceps epistolae Huschkii cum ad Academiae Curatores, tum ad Wyttenbachium, advenie-bant, tamen tandem Vir Clar., post totius fere anni moram et tergiversationem, Curatoribus mense Augusto 1808 declarabat, se Leidensem stationem accipere non posse. — Atque ita illa quoque spes et exspectatio, quam Amplissimi Curatores in Huschkio collocatam habuerant, irrita fiebat.

Denique vero, quum post hanc alteram recusationem ipsi Academiae curandae Quinqueviri de alio quodam professorii muneris candidato, in vacuam cathedram vocando, inter se dissentirent, ac res de die in diem differri, certe parum progredi, videretur; tandem ipse Rex interveniebat, mandans Meermanno, Viro Exc., universae rei literariae praefecto, ut alium Professorem arcesseret.

Hic igitur eximiae eruditionis virum, *Fridericum Creuzerum*, Academiae Heidelbergensis Professorem, statim invitabat.

Cujus conditionibus probatis, Rex die 10 Februarii 1809 ipsi cathedram Graecam deferri, at vocandi negotium, solito more, per Curatores fieri debere jubebat.

Wyttenbachius, his auditis, valde laetabatur. Mense enim Junio illud gaudium suum mecum his verbis communicabat: » *Habeo quod et ipse gaudeam, et Leidae gratuler. Creuzerus, magnae vir doctrinae, meique studiosus, propediem, ut spero, noster erit. Scripsi ad eum, quod debui: ipsum non modo mihi accipiendâ statione oblatâ gratissimum facturum, verum etiam ad nos non ut ad peregrinos, sed ut ad suos venturum esse.*"

Utinam modo illud gaudium Wyttenbachio diuturnum fuisset, nec somnii instar mox rursus evanuisset! Nam venit quidem Creuzerus mense Julio Leidam, sed quum ejus et animus et corpus sub ipsum terrae Batavae ingressum coeli aërisque mutatione adeo afficerentur, ut nulla alia ratio salutis superesse videretur, nisi ut quanto ocyus ad suos rediret; initio mensis Octobris, in veterem cathedram Heidelbergensem revocatus, Leidâ in patriam continuo reversus est, istâque exigui temporis commoratione perpetuum sui desiderium nobis reliquit. Sed quo magis appareat, quid et quantum abitus Creuzeri ad animum Wyttenbachii valuerit, ipsum hoc enarrantem audiamus.

» *Creuzerum, V. Cl.*, inquit, *quem Bibliothecae Criticae P. XII. p.* 222, *Academiae*

Heidelbergensi gratulati eramus, rursus eidem gratulari debemus: Homerice quidem ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Nam quum illa scriberemus, oblatâ ei jam tum Leidensi cathedrâ Graecarum Literarum, verba sic posuimus, ut re, si forte, ante editum nostrum libellum confectâ, pro Heidelbergensi Leidensem *ponerémus. At re praeter exspectationem retardatâ, libellum nostrum, et locum illum, ita ut erat scriptus, edidimus. Venit tandem Greuzerus mense Julio, exspectatus sane, et animi bonis talis, qualem eum absentem cognoveramus, eleganti ingenio, exquisitâ et variâ doctrinâ, egregiâ humanitate. At vero minus, quam sperabamus, et ipse volebat, firmus ac nigens valetudine. Quam jam antea tentatam insueta coeli et aëris Batavi novitas sic porro affecit, ut gravius etiam quid vitae metuendum videretur, nisi in solitam se naturam loci referret. Itaque nos reliquit, magno et nostro cum dolore, et Academiae Leidensis damno: et fortunâ nos quasi ludificante, eumque nobis simul et dante et adimente, Heidelberga lubens lubentem recepit. In quâ nos jacturâ unice illa spes consolatur, fore ut, quantum nobis emolumenti abitu viri detractum est, tantum cum ad ipsius vitam diuturnitatis, tum ad Literas utilitatis accedat. Nunc eum vivum dimittentes, non quidem χαίροντες, quod illo poëtae dicto celebratur, sed tamen εὐφημοῦντες ἐκπέμποντες δάμων, scriptis ejus commemorandis prosequamur.*" — Atque sic Fortuna Wyt-

Plus rebus ac factis, quam laudibus ambitiose quaesitis tribuens, et illud, Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει, ante omnia ponens, non modo nihil quidquam e domestico studio remittebat, verum etiam in scholis habendis, et juventute ad rerum scientiam et virtutem more majorum instituendâ suam praecipuam officii oblectationem ponere pergebat. Et erant sane illo tempore scholae ejus frequentes. Quum enim anno 1808 Ciceronem *De Finibus* interpretaretur, *centum et septem* auditores habebat. Iñ his cum alii multi egregii juvenes erant, qui accuratâ Linguae Graecae et Latinae, Historiae et Antiquitatum scientiâ excellerent, omnique laude dignissimi essent, tum quoque *quatuor* editis scriptis clari. Horum primus est *Jo. Theodorus Netscher*, qui in tractandâ Oratione Ciceronis *Pro Archiâ Poëtâ* egregium specimen suorum progressuum prodidit. Alter *Janus Bake*, scriptor eruditissimae Commentationis *De Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinae*. Tertius *Bernardus van Laar*, auctor elegantissime scriptae Dissertationis *De Romanorum Ponderibus et Mensuris*. Quartus τοῦ πάνυ Valckenaerii ex filiâ nepos *Ludovicus Casparus Luzac*, cui debemus exquisitâ doctrinâ refertum Specimen Academicum *De Hortensio Oratore, Ciceronis Aemulo*. Quibus singulis debitam sane laudem Wyttenbachius in Philomathiâ suâ honorifice tribuit.

Ipse vero interea occupatus fuerat partim legendis et excerpendis interpretibus Platonicis nondum editis, *Olympiodoro*, *Hermiâ* et *Proclo*, partim scribendis et edendis minoribus et extraordinariis operibus, quod ad magnum illud et ordinarium, ad Plutarcheum scilicet opus, nondum accedere auderet. Ne igitur quid dicam de *tribus* illis *locis* in *Netsoheri* Disputatione obviis, neque de illo studio, quod posuit in *Ciceronis* quinque libris *De Finibus* ad Scholarum interpretationem accommodandis, et *Animadversionibus in Euripium* inchoandis; hoc tempore edi curavit *Philomathiae Librum Primum*, deinde *Annotationem ad J. Bakii librum De Pentecoste*, et denique *Annotationem in Platonis Phaedonem*. Quibus sane scriptis editis Wyttenbachium maximum fructum bonis studiis attulisse, ad unum fere omnes judicarunt, qui de his rebus judicandi facultate valerent.

Dolendum interim maxime erat, hanc Phaedonis editionem ob typorum exiguitatem et speciminum corrigendorum necessitatem optimi viri oculos adeo hebetasse atque infirmasse, ut ab eo inde tempore vix interdiu, nedum ad lumina, aliquid legere aut scribere potuerit, eamque praeterea incidisse in ista calamitosissima tempora, quae ipsum in Epilogo haec scribere veluti coëgerint: » *Ut haec extrema civitatis Batavae conversio neque huic libello in lucem eunti, neque omnino optima-*

rum artium studiis adhuc, more majorum, insigni cum laude fructuque cultis, obsit, fecit Deus O. M.

Quum scilicet jam aliquamdiu instans publici statûs commutatio civium animos sollicitudine et incertâ rerum futurarum exspectatione suspensos tenuisset; tandem apparuit illud Ovidii, *Fratrum quoque gratia rara est.* Iste enim Gallorum αὐτοκράτωρ, qui paucis annis ante maximam sese voluptatem percipere simulaverat, quod Legati gentis Batavae Parisios venissent, fratremque suum sibi Regem expeterent, nunc fratri Regi primum insulas Zelandicas cum parte Brabantiae Septentrionalis adimebat, et deinde toto regno privabat, Bataviamque nostram Gallico imperio provinciam adjici jubebat. Quantam rerum conversionem et fortunarum eversionem ista fraudulenta machinatio patriae nostrae attulerit, nemo non expertus est. — Memini me tunc ad Wyttenbachium de vexationibus τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, de incertâ sorte meâ, et id genus pluribus scribere, inque fine epistolae addere, *vereor ne cum sexcentis aliis triste illud canere cogar:*

» *Di maris et coeli (quid enim nisi vota supersunt?)*
Solvere quassatae parcite membra ratis:
Neve, precor, duri *subscribite Caesaris irae.*

Ad haec ille die 30 Julii mihi rescribebat: » *Et patriae quidem casus, quamvis praevisus, tamen gravis ad animum accidit: non solum*

praesente nostro innumerabiliumque civium damno, sed futurae etiam calamitatis metu. Illud semper in ore et cogitatione habendum, nihil mali nobis accidere posse, quod culpâ careat, et quidquid illud sit incommodi, adversi, acerbi, id divinâ voluntate evenisse, et ferundo superandum, et prudentiâ moderandum esse. Dabit Deus his quoque finem. *Interea* transferamus, *ut Ciceronis nostri verbis utar*, animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adjuvantur, *h. e. semper maximum solatium ex Literarum studiis petamus, et quo magis res publicae nostrae laborant, eo magis in id incumbamus, ut res literaria quam minimum detrimenti capiat. Et tu velim bono animo sis: Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.*"

Neque ipse aliter agebat. Etsi enim status Academiae incertus erat, discipulorum numerus in dies imminuebatur, honoraria suo tempore professoribus non solvebantur, syngraphae Batavae ad trientem redactae erant, et omnia fere ruinam patriae undique minitabantur; tamen in istis difficultatibus non modo animum non despondebat, verum adeo ipsum consueto Literarum studio recreare, et alios item ad illarum ulteriorem culturam admonere pergebat. Egregium profecto monumentum amoris ejus erga Literas et patriam habemus in illo *Protreptico*, quem die 18 Sept. 1810 dixit *instaurandis scholis, et discipulis ad Literarum studium confirmandis.*

Quum enim, patriâ in Francici imperii provinciam redactâ, multorum adolescentium animi ad haec studia refrigescerent ac retardarentur, et ejusmodi errore occuparentur, ut putarent, se nullam omnino amplius patriam habere, nullam sibi ejus jam rationem ducendam esse, nullam porro causam exstare, quare quis Literis studeret: tunc ille summâ eloquentiae vi istum perniciosum errorem confutavit, ex eorumque animis evellere, eosque ad vetera studia revocare conatus est, habito ad eos publice ex cathedrâ *Protreptico*, in quo partim argumentis ex philosophiâ, partim exemplis ex historiâ desumtis docuit, assumtâ novâ patriâ veterem nequaquam repudiari, sed et ipsam remanere, et nostram cum eâ necessitudinem illibatam servari, et Literas disciplinasque discendi officium sanctum ac perpetuum constare; idque eo magis, quia, patriae majestate et auctoritate amissâ, unicum nobis supercesset pristinum Literarum doctrinarumque decus, quod, ut praeclarum a majoribus accepissemus, sic a nobis posteritati tradendum, et ad omnis aevi perpetuitatem propagandum esset. — Atque si in illo Pittaci dicto, *καιρὸν γνῶθι*, haud exigua humanae prudentiae pars posita est, nemo sane Wyttenbachium non admirabitur, qui in hoc Protreptico illum ancipitem ac lubricum locum tam accurate, graviter ac sententiose tractavit, ut propemodum statuendum sit,

non tam *raram esse temporum felicitatem, ubi sentire, quae velis, et, quae sentias, dicere liceat*, modo quis temporibus recte uti sciat, h. e. modo cum judicio agat, *inter deforme obsequium* atque *abruptam contumaciam* mediam viam constanter teneat, justamque rationem ac moderationem in dicendo adhibeat.

Porro, triginta annis ante in Biblioth. Critică scripserat, *Nonnulli, qui Censuras novorum librorum scribunt, rempublicam literariam ita in classes describunt, non ut ingenii et doctrinae, sed nationum ac regionum, censum sequantur. Qui puerilis est error, neque aliunde profectus, quam ex rerum humanarum et communis vitae ignoratione. Sunt enim apud omnes nationes, qui melius et qui pejus artem tractent: sunt vel principes, vel secundarii, vel tertiani, vel inferiores. Igitur classium ratio habenda est, non populorum: neque videndum cujas quisque sit, sed quid dicat. — Una est et communis bonorum Scriptorum civitas: cujus quidem jus non a vulgi opinione tribuitur, sed paritur doctrinâ diligente, ejusque prudenti disertâque explicatione. Quibus virtutibus ut quisque maxime excellit, ita quemque nobiscum maxime conjunctum, et civem nostrum arbitramur.*" Hujus igitur sententiae, uti antea semper, sic nunc quoque se tenacem ostendebat. Quum enim Placentiae Dux, Napoleontis in Hollandiâ vicarius, vir humanitatis et doctrinae laude clarus, Literarumque Humaniorum peritissimus aestimator,

Wyttenbachio, ut donum ipsius Imperatoris, misisset librum, plenum humillimae adulationis, *De Praemiis Decennibus*, hic istud opus non modo vere et liberaliter descripsit, laudandaque laudavit, vituperandaque vituperavit, verum etiam ipsum Napoleontem satis aperte remisit ad tempora Regis *Francisci Primi*, atque diserte ostendit, ad Literarum cultum frequentandum non sufficere, ut praemia ad faciendas *Versiones* proponerentur, sed inprimis opus esse bene constitutis scholis ac liberaliter institutis doctoribus, e quorum disciplina prodirent *vere eruditi, omnem veterum lectionem facile complectentes, ex fontibus haurientes, non rivulos consectantes; certe tales, qui metaphrases ac versiones ipsi non desiderarent; sed, si quando, desideratas ab imperitioribus multo accuratiores certioresque conficere possent, quam vulgares plerumque interioris linguarum rationis parum periti interpretes, opus temere ac subito suscipientes.*

Scholas praeterea more majorum non modo ordinarias habere pergebat, verum etiam iis extraordinariam addebat. Rogatus scilicet a quibusdam discipulis, ut in ipsorum gratiam et commodum nonnullas *Disputandi* scholas haberet, lubens illorum honestae ac laudabili petitioni satisfaciebat, et hoc haud invite susceptum pensum tam docte atque scite peragebat, ut inde magnus omnino fructus in discendi studiosos juvenes redundaret. Et

quandoquidem in chartis Wyttenbachii schedulam inveni, in quâ leguntur verba, quibus has scholas aperuit; illa hoc loco ad publicam notitiam perferre omnino operae pretium duco:

» *Videor mihi haud temere facturus, si in principio hujus exercitationis breviter de ejus officio moneam. Egregia, ut omnia, dixit Plato* (*Symp.* 518. *F.*) Disputationem *in iis numerandam esse rebus, quae per se nec bonae, nec malae sint, sed ita bonae aut malae fiant, prouti aut bene aut male tractatae fuerint. Igitur bene disputare, magnam habere laudem et utilitatem: male, magnum damnum ac dedecus. Male autem disputari posse, constat inter omnes, et ego adolescens jam, et adultus, cognovi, quum interessem ejusmodi* Disputationibus, *ubi disputantes nec materiam perceptam haberent, nec formam viamque disserendi tenerent, omnia turbarent, se invicem non intelligerent, sibi tamen et aliis, nescio quomodo, docti, acuti, diserti viderentur. Quae disputationes et a prudentioribus deridentur, et disputantium ingenia corrumpunt, erroribus implent, falsâ scientiae opinione inflant. At vero, si disputantes, perceptâ Literarum cognitione, thesium ex iis depromptarum sententiam, causasque probe perspexerint, tum rationibus in utramque partem expositis, dialecticâ viâ, argumentando, definiendo, dividendo, cogitate considerateque progrediantur; tunc vero disputandi exercitatio insignem affert fructum*

cum ad verum inveniendum, dijudicandum et cum aliis communicandum, tum ad ingenium acuendum, tum vero ad accurate ac Latine et cogitandum et disserendum. — Jam hujusmodi exercitationibus apti quidem discipuli mihi numquam defuerunt: at non semper fuerunt, qui simul et apti essent, et disputationis facilitandae scholas a me expeterent. Qui si contingerent, eorum studiis numquam defui. Idque quum rursus mihi obtigerit, ut, qui ad hanc exercitationem idonei essent, iidem eam a me expeterent; iisdem gratificari non dubitavi, meumque studium ac laborem eo conferre, ut inde illum, de quo diximus, speratum ingenii doctrinaque fructum percipiant. In quibus quum tuae primae sint, Orn. Wassenaeri, *respondendi partes, age eas rite, juste, legitimeque ordire.*"

Annus Academicus interea praeterierat, et novus instabat, nec quidquam certi de futurâ sorte Academiarum Batavarum adhuc constabat. Duo quidem Inspectores Universitatis Caesareae Parisiensis, *Cuvierius* et *Noëllius*, viri doctrinâ celebres, in Hollandiâ fuerant, missi nomine Imperatoris a Magno Magistro, Comiti *De Fontanes*, qui Batavorum Gymnasia et Academias inspicerent, deque institutionis publicae ratione ac disciplinâ ad consilium Universitatis referrent; sed decretum Imperatoris adhuc exspectabatur, et civium Academicorum animi ideo inter spem ac metum adhuc suspensi haerebant. Wyttenbachius, qui oculorum

infirmitate in dies magis magisque laborare incipiebat, in solâ *Philomathiae Libri secundi* editione acquiescebat, nec quidquam aliud praeterea instruebat. Et erat sane illud tempus ad quidvis aliud potius, quam ad libros edendos, ideneum, Wyttenbachioque insuper cum alias ob causas, tum imprimis ob ἀμβλυωπίαν et trium carissimorum capitum amissionem grave ac luctuosum. Accepi d. 30 Aug. 1811 ab ipso epistolam, in quâ haec leguntur: *Multa scribere me oculi mei prohibent, in dies magis infirmi, ut sinister lumen jam prorsus amiserit, et alteri parcere debeam: quod quo evasurum sit, vereor. Me certe tanta ἀργία invasit, ut inde a tuo discessu ne unam quidem lineam scripserim. Et deficiebat cum oculorum acumine animi alacritas; ut fere perpetuus sopor me teneret. Praeterea obitu doctissimi meique amantissimi adolescentis*, Wassenaerii, *acerbissimus dolor intimis adhuc meis medullis insidet. Similis huic amore et studio obiit*, Derkinderenus; *item* H. Boscheus, *vetus amicus. — Caeterum de nostrâ Academiâ quid futurum sit, nondum scimus. Auditorum numerus et ipse ad trientem redactus videbitur. Interim tempore ac more solito scholas auspicabimur, neque illarum officio quotidiano haud imparem futurum spero.*"

Haec ille. Verum licet altero oculo privatus, et altero labefactatus, licet corpore aliquantum debilitatus, et bonis quibusdam

amicis orbatus esset; tamen animo adhuc, ut antea, vigebat, et muneri professorio recte sustentando omnino adhuc par erat. Manifestissime hoc apparuit, quum die 24 Septembris primam illius anni scholam consecraret celebrandae memoriae desideratissimi sui *Wassenaerii*, cujus acerbum fatum nondum eluxerat, et in cujus eximii adolescentis exemplo justam optimamque viam discendi Literas Humaniores suaviter et simul graviter indicavit ac descripsit, ut haud sciam, an post renatas Literas nihil scriptum sit, quod hac in parte cum illâ *Memoriâ* comparari mereatur. Quantamque vero praestantissimi *senis, comta et mitis oratio audientiam sibi fecerit*; et quantum illa auditorum oculos animosque commoverit, vel ex eo intelligi potest, quod illorum haud pauci lacrymas tunc fudisse dicuntur.

Mox sub finem Octobris tristis nuntius de *tribus* sublatis Academiis, *Franequeranâ*, *Harderovicenâ* et *Rheno-Trajectinâ*, per ephemerides ad publicam notitiam perveniebat. Napoleon nimirum decreverat die 21 ejusdem mensis, *duas* tantum Academias in Hollandiâ remansuras, *Leidensem* ac *Groningânam*, easque tamquam Universitatis Caesareae partes secundum hujus ipsius leges ordinandas esse. Quo decreto etsi discentibus copia discendi, et ipsis studiis magna praemiorum pars adimebatur, tamen isti obediendum ac parendum erat. Notum istud

tyrannorum, *Sic volo, sic jubeo*, nullum excusationi locum relinquebat: *pro ratione voluntas stabat.*

Neque tamen statim (quod sane multis mirum videbatur) istud decretum ad effectum adducebatur. Aliquanto post demum solennitas ordinationis Academiae Leidensis in diem *tertium* Novembris 1812 indicebatur. Intra hoc vero temporis intervallum haud pauci cives Academici, qui potius more majorum, quam Gallorum, honores Academicos capessere vellent, id praecipue agebant, ut ante illum diem votorum suorum compotes fierent. Atque ista properatione *Doctorum* in patria nostra numerus mire profecto augebatur, *discipulorum* contra ea misere imminuebatur.

E discipulis Wyttenbachii, v. c., qui, finito studiorum Academicorum curriculo, in eo cum maxime versarentur, ut conscribendis specimininibus eruditae civitati ostenderent, quos qualesque in Literis Humanioribus progressus, duce magistro suo, fecissent, sed qui ob instantem Academiae transfigurationem, *seposito ampliore argumento, brevius sumerent, quod citius et ante illum diem* III Novembris *perscribi et in specimen legitimum produci posset*, duo inprimis memorandi sunt, *Gulielmus Theodorus Baumhauer*, et *Petrus van Lelyveld.* Prior, qui *sibi Stoicam quaestionem* Περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς *argumentum Disputationis habendae ad consequendum gradum Doctoris Juris destinaverat, ad eamque*

tantum apparatum collegerat, ut ei nulla pars materiae in antiquis monumentis proditae ad hoc propositum spectans deësse videretur, illius loco edidit *Specimen Juridicum inaugurale, De Lege VIII. C.* » Si certum petatur." *Cui accedunt* Tria Capita Observationum in Ciceronis Librum secundum Academicarum Quaestionum." — Posterior, qui Dissertationem Περὶ ἀτιμίας conscribere sibi proposuerat, in eâque elaborandâ non festinanter ac leviter, verum lente et accurate versari vellet, mutato consilio, *Theses Juridicas Inaugurales* XXII publici juris fecit. Quod tamen minime ita accipiendum est, ac si hi juvenes tantummodo dicis causâ leve ac nugatorium quid consarcinaverint, et tamquam immaturum foetum utcunque in lucem emiserint. Longe profecto aliter sese res habet, quemadmodum non modo e Philomathiae Libro III. apparet, ubi Wyttenbachius horum Speciminum laudabiliter meminit, verum magis etiam ex utriusque scriptionis lectione unicuique constare potest.

Interim Wyttenbachius decreto Magni Magistri Universitatis denuo *Professor Literaturae Graecae et Latinae* constitutus erat. Sed quum dicto illo die III Novembris Academiae Leidensis nova ordinatio, cui ipse propter valetudinem interesse non potuerat, non sine magnâ pompâ et ostentatione peracta esset; continuo ad Virum Exc., *Co-*

mitem De Fontanes, has literas scribendas esse e re suâ arbitrabatur:

VIRO EXCELLENTISSIMO
COMITI DE FONTANES,
MAGNO MAGISTRO UNIVERSITATIS,
S. P. D.
DANIEL WYTTENBACH.

Quum nuper Academiae Leidensis Rector, Vir Magnificus, mihi per literas significasset, me decreto Tuo, Vir Exc., constitutum esse Professorem Literarum Graecarum et Latinarum; *respondi ei, me id sic interpretari, ut judicem, mihi non solum Literas Graecas et Latinas, sed etiam reliquas mei muneris partes, id est,* Historiam Universalem, Eloquentiam *et* Praefecturam Bibliothecae *mandatas servatasque esse. Cujus mei judicii causam et rationem postea eidem laudatissimo Rectori disertius explicui per literas: quas ut Tecum, Vir Exc., communicaret, eum rogavi: et nunc easdem ut ad Te amplius interpretarer, mihi faciendum putavi. Ego ante hos tredecim annos Amstelodamo in hanc Academiam et locum Ruhnkenii vocatus sum, qui habuerat Professionem Literarum Latinarum, Historiae Universalis, Eloquentiae, et Praefecturam Bibliothecae. Et quia tunc Graecarum quoque Literarum professio vacabat, eadem quoque mihi data est. Vocabar autem eâ conditione, ut fruerer salario annuo quinque millium floreno-*

rum; et quia meae cathedrae hujus fere triplex erat onus; et quia Amstelodami lautiorem etiam reditum percipiebam, et illas easdem disciplinarum partes per octo et viginti annos docueram. Sed in Catalogo Professorum Lugdunensium nuper Magno Magistro, Viro Exc., et Legatis Cuvierio *et* Noëllio, *Viris Ampl., tradito mea munera brevitatis causâ sic significata sunt, ut meo nomini nude adscriberetur,* Professor Graecae et Latinae Literaturae. *Atqui hinc periculum nasci poterat, ne quis in eum errorem incideret, ut putaret, aut nullam tradi in hac Leidensi Academiâ Historiam Universalem, aut ejus docendae mihi veterano ademtam facultatem, novoque Professori Historiarum traditam esse. Itaque in novo Catalogo Professorum, a Te, Vir Exc., ad nos misso, quisque Professor suum titulum sic interpretatus est, et ego meum item in hanc sententiam accepi, ut* publice et gratis *cuique docendum sit illud pensum, quod in Catalogo ejus nomini adscriptum est:* privatim *autem nemini interdictum censeatur, ne ea, quae antea docuit, docere porro pergat; itaque mihi publice et gratis tradendae sint Graecae Latinaeque Literae, ut jam professus sum me illarum* Introductionem *publice traditurum: privatim autem ea docere concedatur, quae jam per quadraginta annos haud improbabiliter docui. Haec ut ad Te scriberem, muneris me mei ratio et religio jussit: qui Te, Vir Exc., et propter dignitatem Magni Magistratûs Tui, et propriae*

virtutis doctrinaeque gratiâ veneror, omniaque Tibi bona precor."

Probatis vero a Magno Magistro rationibus in hac epistolâ allatis, Wyttenbachius bis per dierum hebdomadem scholas *publicas* habebat, quarum argumentum *Introductio in Literas Latinas* erat: at vero *privatim*, more pristino, *Scriptores Graecos et Latinos*, *Historiamque Universalem* explicabat. Sed quod aliorum Professorum scholae publicae in aliorum privatas lectiones inciderent, ac multi cives Academici solis publice habitis scholis jam contenti essent, nec Literas Humaniores ulterius addiscere magnopere cuperent, contra ea quam primum ad illas doctrinarum disciplinas festinarent, e quibus brevi tantum perciperent, quantum ad vitam quaerendum vix satis esset; facile intelligitur, tristi isto tempore scholas Professorum de Literis Humanioribus privatas non admodum frequentes fuisse, immo potius per communem rerum perturbationem fere desertas jacuisse. Attamen aderant adhuc Wyttenbachio e veteranis probati quidam discipuli: in his *J. Kappeyne van de Coppello*, qui nunc magnâ cum intelligentium virorum laude et approbatione *Gymnasio Hagano Rector* praeest; tum *Abrahamus Willet*, qui edito et doctâ Annotatione illustrato *Proptreptico Galeniano*, anno 1812, optime de bonis Literis meruit; et *Janus Adrianus van der Haim*, qui, ut ipse Wyttenbachius

ait, *sibi proposuerat argumentum elegantis doctrinae specimini ad consequendum gradum doctoris* Paradoxa Ciceroniana, *sed ob Francicam dominationem, sepositâ illâ vetere et ampliore materiâ, item brevioris argumenti specimen conscripsit, continens* Explicationem Legis V. Codicis. *De contrahendâ et committendâ stipulatione: Disputationem de Emancipatione secundum Codicem Napoleonticum: et Theses varii argumenti.* De quâ scriptione Wyttenbachius in Philomathiae L. III. p. 269 agens, *Haec breviter*, inquit, *et summatim a nobis relata satis indicant scriptoris doctrinam; ut intelligatur, quam erudita et elegans destinata Commentatio Ciceroniana futura fuisset, quamque dolendum sit, eam temporum iniquitate interceptam esse.*"

Quod porro ad ipsius Wyttenbachii studia hujus anni domestica attinet; haec, quantum per oculorum infirmitatem fieri poterat, praecipue versabantur in componendis quibusdam locis, quae leguntur in Philomathiae Libro III, atque perscribendis *Animadversionibus in Eunapium.* In Epistolâ quadam ad me mense Augusto 1812 datâ de hoc negotio ita scripsit: „ *Ego nunc* Notas in Eunapium *conscribo, et properandum est, ne infecto opere nox oculorum me occupet. Nam ocularius medicus mihi affirmavit, in altero etiam meo, eoque sano, oculo apparere indicia venturi glaucomatis, eumque acie minus, quam antea, valere.*" Pervenit vero optimus senex

usque ad pag. 91. edit. Boissonadii. Legimus enim in fine Annotationis p. 528 haec ab ipso scripta : » *Hactenus annotationem hanc conscripseram auctumno anni* 1812, *cum in nostram Academiam Francica ordinatio incidit. Hinc Ennapius e manibus, nescio quomodo, sepositus.*«

Sequente anno inexspectatus et raviori distributione illustrior redditus honor ipsi obtigit. Qui qualis fuerit, quo melius intelligatur, res a capite repetenda videtur. *Ludovicus* scilicet, primus Hollandiae Rex, exemplo aliorum Regum, in novo regno suo *Ordinem Unionis* instituerat, in quem reciperentur *quingenti* cives, sive militari scientiâ ac gloriâ clari, sive eruditionis laude et famâ celebres, sive artium mercaturaeque studio et diligentiâ florentes, sive eximiis virtutibus moribusque conspicui essent. Jam autem, licet Wyttenbachii nomen et plane admirabilis eruditio per omnem cultiorem Europam satis superque nota essent, ipseque ab omnibus prudentioribus ubivis terrarum patriae nostrae decus et ornamentum a longo jam inde tempore judicatus esset, atque ideo equestris dignitatis honos ei, tanquam uni e principibus literatae civitatis, omnino tribui debuisset; tamen eius, quasi unius e multis, nulla ratio habebatur, quamvis bis deinceps anoto Equitum numero. Ipse id parum curabat, nec cuiquam illum honorem invidebat, satius habens, exemplo Catonis, ut homines

interrogarent, quare illo ornamento careret, quam quare illud haberet. Verùm enimvero, quam mox ille ordo *Unionis* cum Regiâ majestate evanuisset, ac Napoleontis jussu novus ordo sub nomine *Reunionis* constitutus esset; Wyttenbachio a Francis optimo jure meritus honos habebatur, quem Batavi ei habere aut noluerant, aut certe neglexerant. Magnus Magister Universitatis, cui, ut reliquis doctis et eruditis Parisiensibus, immortalia Wyttenbachii in rem literariam merita probe cognita et perspecta erant, facile persuadebat Imperatori, ut Wyttenbachius honorificâ ratione in Ordinem Equestrem Reunionis allegeretur. Hoc officium mandabatur Praefecto ostiorum Mosae, qui illud lubens suscipiebat, magnâ festivitate perficiebat, et singulari elegantiâ exornabat. Nam non modò Wyttenbachium continuo de delatâ ipsi dignitate sodalitii Ordinis Equestris Reunionis certiorem faciebat, verum etiam in diem certum honoratissimos magistratus, clarissimos professores, et florentissimum literatae juventutis coetum in aedem Academiae publicam convocabat, ipse stipatus satellitio suo Leidam veniebat, inque illâ splendidâ panegyri ipse Wyttenbachium Ordinis Equestris Reunionis sodalem allegebat; allectum renunciabat, et ordinis insignibus condecorabat, habito elegante et Wyttenbachio admodum honorifico sermone. Ad quem quum ob temporis angustias copiose respondere

Wyttenbachio non liceret, tamen paulo ad rem praesentem apprime accommodata *De Professore, bono, cive*, dixit.

Mecum hunc sibi habitum honorem paucis diebus post, per epistolam communicans; praeter alia haec scripsit: « *Dudum literas tuas desideranti, ad te scribere constituerami nunc, acceptis tuis, te rursus meas desiderare passus sum. In causâ fuerunt, praeter imbecillitatem oculorum meorum, quibus omnino parcendum, negotia quaedam subita nec exspectata, quae longum sit enarrare omnia. Unum certe celare te non possum, me sodalem* Ordinis Reunionis *factum, illum sponte oblatum honorem recusare nec potuisse, nec debuisse, ideoque multa agere, multa loqui, multa scribere, multumque temporis in alieno a Literis nostris argumento consumere, coactum, esse. Utinam modo ille honor aliquam facultatem ad benefaciendum amicis daret!* »

Ad illa autem negotia, quibus se occupatum tunc teneri scribebat, etiam epistolarum scribendarum necessitas pertinebat. Commendatione *Comitis De Fontanes*, eques factus, humanitatis rationibus consentaneum erat, ut huic Viro Exc. debitas gratias ageret. Porro, acceptis literis a *Serenissimo Duce De Cador*, Magno Ordinis Reunionis Cancellario, quibus jussus erat non modo praescriptam jurisjurandi formulam, suâ manu descriptam, et nominis sui subscriptione insignitam, Parisios mittere, sed illi etiam

simul rerum suarum notationem addere. E quibus vero binis literis quum imprimis appareat, quam simplex, candidus et ab omni adulatione atque ostentatione alienus Wyttenbachii animus fuerit, et quam parum inanis gloriolae aucupio in vitae ac rerum suarum enarratione tribuerit, ambas hac occasione ad lectorum notitiam perferre, mihi haud ineptum visum est. En igitur utriusque exemplar:

» VIRO EXCELLENTISSIMO,

COMITI DE FONTANES,

MAGNO MAGISTRO UNIVERSITATIS,

S. P. D.

Daniel Wyttenbach.

Accepi, Vir Exc., humanissimas Tuas literas, quibus mihi significas, me Tuâ commendatione a potentissimo Caesare in Ordinem Equestrem Reunionis allectum esse. Ego vero, quo gravius est tuum judicium, et quo latius patet Caesaris majestas, eo mihi ampliorem hunc honorem duco: eumque candide accipio ut vetus mihi meum officium servantem et comprobantem, non ut interpellantem et impedientem necessitate obeundorum rituum aut conventuum meae valetudini et aetati adversantium. Fuit enim hoc mihi adhuc quotidianum officium, in quo vitam contrivi, patriae inservire erudiendâ ad Literarum cognitionem et

virtutem juventute. In quo si strenue pergam, confido me illius Ordinis legibus satisfacturum, nec quem quid aliud a me postulaturum. — Caeterum vale, Vir Exc., ac sic Tibi persuadeas, me pro eâ, quâ Te colo, observantiâ omnem reliquam fortunae et existimationis meae spem in Te reponere.”

» SERENISSIMO DUCI DE CADOR,

MAGNO CANCELLARIO ORDINIS EQUESTRIS IMPERIALIS REUNIONIS, ADMINISTRO STATUS,

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Et literas Tuas humanissimas, Serenissime Dux, ad me misit Vir Excellentissimus, Comes De Stassard, *Praefectus ostiorum Mosae, et idem mox Leidam veniens, publice mihi insigne Ordinis impertivit. Itaque honor jam ratior, et augusto Caesaris nomine amplus, etiam inaugurandi celebritate mihi cumulatus est. Cujus beneficii quum magnam partem Tibi, Serenissime Dux, debere videar, gratias, pro eo ac meritus es, magnas Tibi et habeo et ago. Exemplar jurisjurandi meâ manu descriptum, meoque nomine subscriptum, item rerum mearum breve commentariolum, ut jussisti, huic epistolae adjeci. Vale, Serenissime Dux atque ita Deus O. M. res tuas fortunet, ut Te mihi faventem cognoscam.”*

COMMENTARIOLUM
VITAE RERUMQUE MEARUM.

„Dan. Wyttenbach, natus anno MDCCXLVI Bernae Helvetiorum, familiâ patriciâ, patre Danicle Wyttenbachio, Theologiae Professore. Quo in eâdem facultate *Marburgum honorificentissimis conditionibus invitato et profecto, filius ibidem domesticâ institutione et academicis scholis perceptis, se totum Graecorum Latinorumque Scriptorum lectioni dedit. Tum annum Goettingae degit, et Epistolam Criticam de Juliano ad Ruhnkenium scriptam edidit anno MDCCLXIX. Mox Leidam abiit, ut interiorem harum Literarum rationem ab earum principibus, Ruhnkenio et Valckenaerio, acciperet: quibus persuadentibus delatam sibi in Remonstrantium Collegio Amstelodami Philosophiae Literarumque professionem suscepit, per octo annos obtinuit. Hinc in Athenaeum Illustre Civitatis Amstelodamensis traductus; deinceps in eo duo professoria munera gessit; primum Philosophiae ab anno MDCCLXXIX ad MDCCLXXXV: deinde Historiarum, Eloquentiae, Antiquitatum, Literarum Graecarum et Latinarum inde ad annum MDCCXCIX, quo ad easdem disciplinas docendas Leidam vocatus, eo migravit, ibique hoc quotidianum officium adhuc facitat. Libri autem, quos scripsit, hi sunt: — Caetera vitae meae acta et eventa non sunt tanti, ut in hoc commentariolo memorentur.“*

Quum vero vetera illa Literarum studia, quae Wyttenbachio novis istis Equitum ornamentis cariora erant, per Francicam dominationem misere turbarentur, ac fere tamquam res nullius pretii ac momenti derelinquerentur; quumque eo partim aliae publicae calamitates accederent, veluti (ut unam saltem commemorem) iste novus, et in Hollandiâ praesertim inexorabili acerbitate habitus, *Satellitum honorariorum* delectus, qui omnium bonorum animos terribili horrore perculiebat, dirumque in modum cruciabat; partim vero etiam privata incommoda istis publicis miseriis, ut ita dicam, sese adjungerent, qualia erant oculorum ingravescens malum, et nimis saepe ipsi allatus nuncius de hujus illiusque aut necessarii aut amici obitu, ita ut ab omni parte tam praesentibus quam absentibus familiaribus orbaretur: quum tot, inquam, diversi generis mala eum veluti obruere velle viderentur; unumquemque facile intellecturum et sensurum opinor, istorum temporum difficultatem Wyttenbachio lectionis et scriptionis operam, suavitatem ac fructum magnopere ademisse, ipsumque huic praecipuo vitae suae oblectamento, utpote oculis valde inimico, non tantâ studii assiduitate, quantâ superioribus annis, indulgere potuisse.

At vel sic tamen, ut animi dolorem, quo ob memorata rerum et causarum adjuncta subinde afficiebatur, quantum posset, a se

annoveret, aut certe eum leniret, tempus consumebat potissimum quidem meditando de gravissimis veterum poëtarum et philosophorum locis, quorum insignem copiam memoriâ tenebat, partim vero etiam excerpendis variantibus *Plotini* lectionibus et conscribendis notis in ejusdem scriptoris librum *De Pulchritudine*, quibus *Creuzero*, Viro eruditissimo, et futuro editori Operum Plotini, gratificaretur. Etenim ipsi interdum contingebant, praesertim circa meridiem, quum solis candor clarior esset, ac senis bibliothecam illustraret, istiusmodi *intervalla*, quae *lucida* vocare possis, quaeque ipsum aut legere aut scribere aliquid sinebant, et quibus ad officia literaria amicis praestanda uti solebat. Quam Wyttenbachii benevolentiam humanissimus *Creuzerus*, quâ est sinceritate ac probitate, gratissimo animo agnovit. Primum enim in Prolegomenis ad lib. laud. p. CXXIV haec publice praedicavit: » *In iis, qui insigniter me demeruerunt, memorandus est primo loco* Wyttenbachius *meus, qui, postquam me confirmasset in eo universo consilio, eidem multis nominibus profuit. Neque enim Plotini, Jamblichi, Proclique codices exhibuit modo excerpendos aliis, sed bonam partem ipse lustravit contulitque, idque eodem tempore, quo oculis maxime infirmis utebatur; atque, quo cumulum adderet suo illi in me meosque conatus studio, Notas etiam conscripsit cum in hunc librum de* Pulchritudine, *quas infra adjeci*

integras, verum etiam in Porphyrianam vitam Plotini, quas unâ cum viri clarissimi, J. Francisci Boissonnadii, *mihique amicissimi, aliquot in eamdem observationibus alii tempori reservabo.*" — Deinde eadem illa candida et *aurei profecto generis* animâ non satis habuit, Wyttenbachio tantum gratias egisse, sed voluit etiam eas referre. Summâ orationis et suavitate et gravitate in Epistolâ, libro Plotini praemissâ Wyttenbachioque dedicatâ, hunc non modo suâ sponte defendit contra Lipsiensem Theologum, Literatorem agere volentem, *Tittmannum*, qui atrocissimâ maledicentiâ Wyttenbachium petierat, et admodum stulte ac stolide *calumniae* et *adulationis* accusaverat, verum insuper etiam Batavorum Literatorum patrocinium in se recepit, quos idem iste sycophanta ad unum omnes nullius fere momenti amplius habendos esse crepuerat. Sed post illa, quae in Philomathiae Libro III. legi possunt, de istâ *Tittmanni* cum magno stupore conjunctâ vanitate plura dicere me piget taedetque.

Mox sequebatur illud omnibus bonis gratum ac jucundum tempus, quo, post diuturnam servitutem, fractâ tyrannide Napoleontis, et excussâ nimis durâ ac superbâ Gallorum dominatione, tandem pristina Batavorum libertas reviviscere incipiebat. Hocce singulari beneficio divini Numinis admodum laetabatur Wyttenbachius, ex animo optans,

ut Gallorum abitus e patriâ nostrâ et ipsis commodus, et nobis frugifer; et universae omnino Europae salutaris foret, eoque bono perpessae calamitates sensim paulatimque e memoriâ evanescerent. Locupletem laetitiae ejus testem habeo Epistolam, quam ad veterem spectataeque fidei amicum, *Fredericum Guilielmum Boersium* scripsit. Cujus initium, quatenus huc spectat, exhibebo.

» *Ergo rediit jam laetum tempus! Quantum illud mutatum ab eo, quo postremas invicem scripsimus epistolas mense Julio! Rediit libertas, cujus nomen non modo amiseramus, sed adeo obliti eramus: et quod saepe, quamquam frustra nos optare putantes, tamen optabamus.* O mihi tam longae maneat pars ultima vitae, Spiritus, et quantum sat erit tua dicere facta! *id tandem nobis contigit. Nec* fuimus Troës, *quod nuper in nos valebat*; *sed* sumus Troës; Trojaque nunc stabit, Priamique arx alta manebit. Jam redit et Virgo (sc. *Batava*), redeunt Saturnia saecla. *Et qui eam reducit patriae pater*, Ille Deûm vitam accipiat, — Pacatumque regat patriis virtutibus orbem. *Et quandoquidem Libertas nos sera tamen respexit inertes; age, ne maneamus inertes, sed omnia expurgemus, si qua manent sceleris vestigia nostri: et, si quis manet equus ligneus, ex quo hostes latentes prorumpant, patriamque opprimant*, Equo ne credite, Teucri: — Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona Praecipitare jube,

subjectisque urere flammis, Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras. — *Ain' vero, nonne Tibi Virgilianum centonem decentans repuerascere videor? Tanta est vis temporum et mei συνενθουσιασμοῦ. Itaque haec semel scripta non delebo, sed Tibi ut συνενθουσιῶντι impingam. Tu ea, quâ es humanitate, aequi bonique consules. Sed jam ad seria veniamus.* etc. —

Atque hanc sinceram animi voluptatem suam etiam eo ostendit, quòd, quum princeps Arausiacus, Rex noster augustissimus, die 21 Decembris Leidam venisset, atque Professores, duce Clar. *Kempero*, *Rectore Magnifico*, Principem solenni more salutare decrevissent, ipse domi non manserit, licet id ob aetatem ac valetudinem satis honeste facere, Principemque per literas salutare potuisset, quemadmodum antea aliis quibusdam principibus viris gratulatorias epistolas scripserat. Qualis enim erat tunc status valetudinis ejus? Hic optime cognosci potest ex illis, quae paucis diebus post ad me scripsit: » *Mihi, ut nosti, ad scribendum opus est alacritate animi et vigore, quem saepe restinguit, certe deprimit, torpor et pigritia: nunc imprimis accedente frigore, cujus quanta sit cum pigritiâ conjunctio per hos dies re et facto expertus sum; ut sapientem et naturae peritum judicem Horatium nostrum ex illo*, pigris ubi nulla campis Arbor aestivâ recreatur aurâ. *Est enim* piger per *analogiam a Gr.* πηγός,

et hoc a πήγειν figere, conglaciare. *Nam sic me frigus affecit, ut numquam ante: nec nisi in lectulo cogitando meditandoque vigui: surgenti autem cogitata statim conglaciabant: itaque totos dies saepe condidi discurrendo per domum, et si forte per hortulum, quamquam et hoc nunc nivium montes prohibent; nec nisi raro et cursim librum inspexi, veluti canis ex Nilo bibens; ut ipse mirer, me mihi non magis displicuisse.*

Proximâ aestate (1814) denuo a doctis Parisiensibus ejusmodi honos Wyttenbachio habebatur, ut haud sciam, an nemini antea talis contigerit. Et quandoquidem ob raram viri modestiam ille ipsi habitus honos tantummodo ad paucissimorum amicorum notitiam pervenerit, atque tamen certissimo indicio nobis sit, eruditionem Wyttenbachii in Galliâ a primariis viris maximi aestimatam esse; rem paulo altius repetendam arbitror.

Unus ex amicis Wyttenbachii erat *Sanctocrucius*. De hujus igitur viri vitâ et rebus *Memoriam* in Philomathiâ edens, praeter alia haec scripsit ipse Wyttenbachius: „*Idem, quum eodem tempore ageretur de Republicâ nostrâ in Regnum mutandâ, nihil prius potiusque habuit, quam ut me per literas moneret, quibus rationibus meae fortunae, quam periclitari putabat, consulerem. Quod consilium licet insecuta temporum lenitas supervacaneum redderet, magnum tamen ejus erga me fidei et amoris documentum exstitit.*" Ex his verbis videmus Sanctocrucium saluti Wyttenbachii consulere

voluisse, et Wyttenbachium Sanctocrucii erga se benevolentiam et amorem grato animo agnovisse. Sed quale illud consilium fuerit, hoc illud est, quod non videmus. Res igitur ita se habuit. Quum sub novâ illâ dynastiâ Napoleonticâ res Batavorum Sanctocrucio non satis firmae, immo nimis fluxae viderentur; non modo suadebat Wyttenbachio, ut sibi prospiceret, h. e., ut se *Francici Instituti* sodalem fieri curaret, verum etiam ei affirmabat, ipsum continuo cooptatum iri, modo secundum consuetudinis legem ipse rogasset, ut in sodalitium rite reciperetur. Quid alii, acceptâ ejusmodi admonitione, fecissent, nec scio, nec quaero: sed Wyttenbachius, quamvis amici singularem sollicitudinem laudans, quod nullius unquam sodalitii locum rogaverat, immo istiusmodi conditiones semper aspernatus erat, tunc quoque a se impetrare non poterat, ut eo descenderet. Quocirca illud Sanctocrucii consilium effectu caruit, nec Wyttenbachius amplius de hoc negotio cogitarit. — Verum enimvero, quum octo annis post unus Sodalium ex Wyttenbachio per epistolam quaereret, *an ipso probante facturus esset, si operam daret, ut ipsius nomen nominibus Exterorum Sodalium* tertiae *Classis Instituti*, Historiae *et* Literaturae *adscriberetur*; tunc ipse candide et aperte respondebat: » *Conditio Tua, Vir Eruditissime, libera et gratuita est; itaque eam accipio, ut ab eo conciliatore oblatam, quocum arctius*

etiam conciliari velim." Et deinde quum haud ita multo post vir amplissimus, *Silvester de Sacy*, Wyttenbachio scripsisset, ipsum Instituti Regii Francici sodalem nominatum esse, huic viro ita rescripsit:

» *Jam fere mensis est, quod epistolam Tuam accepi, quâ me certiorem fecisti, me a Classe Historicâ et Literariâ Instituti Regii Francici sodalem cooptatum esse. Cui ego epistolae quum continuo respondere et vellem et deberem, ecce adversa valetudo meum propositum officiumque hucusque distulit. Nunc, quo primo possum tempore, gratum animi mei sensum testificor, cum Tibi*, Vir Amplissime, *cujus auctoritate ac benevolentiâ is mihi honos delatus est, tum* Sodalibus Instituti, Viris Clarissimis et Eruditissimis, *qui Tibi ad me ornandum suffragati sunt. Me quidem infirmitas oculorum ne meas quidem res, nedum alienas, agere sinit; quo magis mihi Regium Institutum ignoscet, si minus operae laborisque novo huic muneri tribuero, quam quantum et ipse volo, et a me exspectatur. Tibi cui rarâ naturae felicitate tantum superest facultatis, ut ad summam Literarum scientiam accedat civilis prudentia et reipublicae administratio; Deus O. M. in utroque genere tuos honores laboresque fortunet. Vale*, Vir amplissime, *mihique porro fave. Scr. d. XV. Dec. M. DCCC. XIV.*"

Atque profecto ita erat, ut scripserat. Non modo ingravescens oculorum infirmitas ipsum illo studiorum fructu, qui hucusque solus ei

vitam vitalem praestiterat, in dies magis magisque privare pergebat, verum etiam reliquae corporis vires sensim imminuebantur: ita ut nonnumquam, habitâ unâ alteráque scholâ, in asthmaticas et vertiginosas affectiones incideret, reliquasque differre cogeretur. Sperabat quidem, se ambulando pristinas vires quodammodo recuperaturum, membrorum δυσκινησίαν depulsurum, et sanguinis frigus soluturum, quod industriae *circum praecordia obstabat*, verum haec spes ipsum valde fallebat. Vix ambulatum abierat, quin continuo defatigaretur atque deficeret. Nisi enim hoc ita fuisset, sequentibus feriis aestivis unâ cum fratre iter per Helvetiam et Aquitaniam fecisset, cupiens nimirum, antequam sibi aliquid accideret, patriam suam post tanti temporis decursum iterum invisere. Nam per omnes illos annos, quos in Hollandiâ transegerat, non nisi semel in Helvetiâ fuerat. Iter illud anno 1780 susceperat cum tribus discipulis, duobus fratribus *Graaflandiis* et *Weselio Scholteno*. Atque de illo itinere multa auditu jucunda idem vir amplissimus *Scholtenus* mihi superiore anno Leidae enarravit, affirmans, se semper adhuc cum summâ animi voluptate illius temporis et peregrinationis recordari, neque unquam Helvetiorum humanitatem, et inprimis Wyttenbachianae familiae ingenuitatem obliturum esse. Quod equidem viro honoratissimo vel non diserte affirmanti facile crediderim, utpote aliunde sciens,

ipsius mores amabiles et cum flagrante doctrinarum studio conjunctum virtutis amorem cum aliis Helvetiis admodum placuisse, tum vero *Salchlium*, maritum majoris natu sororis Wyttenbachii, adeo cepisse, ut hic ipsi postea Carmen suum *De Malo* dedicaverit.

Sed quum Wyttenbachius sentiret, peregrinandi consilium ob valetudinem in aliud tempus rejiciendum esse, attamen interea nihil agere non posset, rursus ad Literarum studium confugiebat, tamquam ad humanissimam et liberalissimam animi oblectationem, optimumque miseriarum levamentum. Nam aut ipse, in lectulo cubans, rerum anteactarum recognitione se oblectabat, aut neptis ei praesto erat, omni ratione praecavens, ut ne optimus vir quidquam desideraret ex illo genere officiorum, quibus explendis ipsa par esset. Modo enim avunculo loca, quae vellet, ex utriusque antiquitatis scriptoribus praelegebat, modo epistolas scribebat, quas ille dictare solebat, modo etiam ei recitabat nonnulla ex iis, quae ipsa composuerat, ejusque, tamquam Aristarchi, judicium sibi expetebat. Licet enim corpore aeger esset, tamen animi ingeniique viribus adhuc, uti antea, omnino vigebat. Quo factum est, ut neptis, avunculi potissimum judicio confirmata, precibus amicorum concederet, atque promitteret, se ad publicam utilitatem deinceps edituram esse, quae ad animi voluptatem suam conscripsisset. Cuique promisso doctissima *Cleobulina* (quo

nomine eam avunculus insignivit) partim jam satisfecit, partim adhuc satisfacere pergit: Nam hoc ipso tempore, quo haec scribo, Parisiis opusculum ipsius, *Symposiaca* dictum, imprimitur, in quod sub fictis quidem nominibus veri tamen cum ipsius, tum defuncti Wyttenbachii amici *De animi immortalitate* colloquentes Socraticâ ratione, plenâ Atticae gratiae, inducuntur. Sed de illo libro pluribus alio tempore agam.

Praeterea etiam eveniebat, ut, emto quodam pratulo, hortum suum altero tanto majorem, et ambulatiunculis aptiorem reddere posset. Istiusmodi quid antea haud magni aestimasset, quum adhuc libere, quocunque vellet, obambulare posset: at vero nunc, quum ob imminentem caecitatem sine comite ac duce vix pedem extra horti cancellos proferre amplius auderet, illius soli possessionem maximi faciebat. Quod mihi his verbis scribebat: » *Contigit mihi his ipsis diebus* angulum *acquirere, qui adhuc* meum denormabat agellum, *quo ordinando et arboribus conserendis otium fallam et me oblectem*!" Semper scilicet loca arboribus fruticibusque consita ipsi magis placuerant, quam prata fossis intersecta, et late patentem undique prospectum praebentia. Hoc ipse alicubi fatetur his versibus Horatianis:

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paulum sylvae super his foret.

Ruhnkenius contra potius planitie et campestribus regionibus delectatus fuisse videtur, quippe quod talia loca ad venationem cum vertagis instituendam, et felici successu exercendam, maxime idonea essent. Atque idcirco ipsum aliquando stomachatum esse video, quum audivisset, Wyttenbachium secessu quodam Warmondano, quem ei commendasset, uti nolentem, constituisse rusticatum abire in agrum Eemnessanum, utpote in amoeniori tractu provinciae Rheno-Trajectinae situm, arboribus fruticetisque copiose consitum, et ob ampliora praedia, quae in illius vicinitate essent, ad ambulationes faciendas melius ordinatum. Scripsit enim tunc Ruhnkenius Wyttenbachio admodum ironice: » *Gratulor Tibi de loco tandem invento, ubi nullus fluviorum aut fossarum objectus ambulationem Tuam impediat. Speramus tamen fore, ut, antequam Te in istas solitudines abstrudas, teque abdas eo, quo Te nemo sequi possit, nos et reliquos amicos invisas, qui Harderovicensium Professorum vicinitatem prae Leidensium a Te expetitam esse dolent.*"

Verumtamen interea, ut ad Wyttenbachii valetudinem revertar, neque domestica oblectamenta, quae ipsi pia et officiosa neptis continuo praebere solebat, neque voluptas, quam ex novis plantariis percipiebat, quae in horto instituit curaverat, quidquam valebant ad veterem istam ἀπραξίαν et ἀσθένειαν ex corpore ejus expellendam. Medici igitur

ei suadebant, ut feriarum aestivarum tempore iter susciperet, affirmantes, hanc ipsi unicam medicinam corpori firmando superesse. De hoc consilio ipsorum me hoc modo (mense Augusto 1816) certiorem faciebat: » *Magnum iter proficisci cogor, non quidem ad doctas Athenas, sed in Germaniam ad Rheni ripam; si forte eam sequens coeli mutatione, aëris salubritate, tum vero locorum naturâ et amoenitate corpus animumque recreem. Neptim vero comitem itineris mihi optavi.*" — Atque paucis diebus post reapse itineri se committebat, et lente procedendo tandem satis commode Heidelbergam veniebat. In quâ vero celebri Academiâ quum aliquot dies commoratus, et suavissimis Creuzeri aliorumque clarissimorum virorum sermonibus aliquanto exhilaratus esset, primum quidem ulterius proficisci volebat, sed mox secum reputans, quibus vitae commoditatibus in viâ careret, atque ὅτι οἴκοι βέλτιον εἶναι; prudentius judicabat redire in patriam, quam longius ab eâ abire. Sed ista domum reditio admodum ipsi molesta fuit, nec omni omnino periculo caruit. In διάῤῥοιαν nimirum, nescio quo casu, incidebat, eâque per triduum tam vehementer vexabatur, ut non modo balneorum utendorum proposito privaretur, verum insuper etiam, quum domum reversus esset, per aliquot deinceps hebdomades medici auxilio indigeret, atque ad amissas corporis vires utcunque reficiendas medicamina quotidie sumere cogeretur.

Quum interea ob magnam illam rerum civilium commutationem, quae, finitâ Napoleontis dominatione, in patriâ nostrâ necessario locum habere debuerat, praeter alia etiam *Ordo Reunionis* sublatus, atque ex Lege, die 29 Septembris anni 1815 latâ, sub nomine *Belgici Leonis* novus Ordo institutus esset, in quem potissimum regnicolae reciperentur, qui aut indubia documenta amoris sui erga patriam dedissent, aut singulari studio ac fide in exsequendis bono civi propriis et privis officiis sese conspicuos reddidissent, aut denique eximiâ artium ac doctrinarum scientiâ excelluissent; altero post institutum illum Ordinem anno eveniebat, ut Wyttenbachius equestri Ordini in supplementum adscriberetur, et signum illius Ordinis ei publice mitteretur. Quod, ut par erat, grato animo accipiebat, sibi persuadens, se ab harum rerum ideneis aestimatoribus augustissimo Regi commendatum esse ut hominem, qui in terrâ Batavorum de Literarum studio unâ cum aliis bene meritus fuisset.

Hucusque vero, quod nonnulli fortunatum putant, uxorem non habuerat: sed nunc neptim suam uxorem ducere volebat. Multis quidem annis ante amoris dulcedine captus fuerat aliquando, at divam Venerem consilii fautricem non habuerat. Quod utrum ipsius, an vero amatae culpâ acciderit, nescio; nec, si vel maxime sciam, referre necessarium putem. Sed quae de illâ re amatoriâ in dua-

bus Epistolis Ruhnkenii inveni, quia perquam festive scripta sunt, impetrare a me non possum, quin cum lectoribus communicem. In priori Epistolâ legitur: » *Ex literis Tuis suavissimis intellexi, Te, solitudinis pertaesum, vitae torique sociam quaerere. Magni res consilii, et Tibi, quod ineptus esse nescis, difficilis futura. His enim moribus, sine ineptiis, quibus* amabilitas *censetur, nihil apud puellas proficitur. Ergo si vis uxorem ducere, eo modo,* ut ameris, amabilis esto. *Sed haec in congressum nostrum conservemus.* — In posteriori autem haec scripta sunt: » *De uxoris ducendae consilio, quod cum maxime agitas, quo diligentius cogito, eo magis Te ab eo deterreo. Si indolem Tuam tot annorum familiari consuetudine recte perspexi, videtur simillima esse ingenio* Rudolphi Agricolae, *de quo vide Baelium in Lex. Hist. et Crit. Quae igitur illum rationes, eaedem Te, si bene et tranquille vis vivere, a matrimonio ineundo revocare debent.*«

At vero, quae olim ipsum, exemplo Agricolae, a matrimonio absterrere potuerint rationes, harum nullam amplius quidquam valuisse, neminem sanum non intelligere opinor. Nulla enim causa aderat, cur vereretur, ne matrimonium sibi aut aliam vitam, aut alios mores, nedum aliquam in Literarum studio exercendo sive mutationem, sive retardationem allaturum esset. Porro aetas ipsum ab omnibus illis reliquis sollicitudinibus atque curis vacuum et immunem reddi-

derat, *in quas ingeniosi juvenes sese saepe per matrimonia conjicere solent.* Sed de istis omnibus etiam ne per somnium quidem cogitabat, et causae, quibus nunc ad matrimonium ineundum compellebatur, plane singulares et a vulgaribus disjunctae erant. Recognoscens nempe, quantâ neptis diligentiâ rem familiarem ac domesticam suam per viginti annos administrasset; secum reputans, quantum illa per tam longum contubernium et sermonum suavitate, et morum dulcedine ad vitam suam exhilarandam et veluti condiendam contulisset; ac denique persuasissimum habens, se a nepti semper tantâ pietate dilectum et cultum esse, ut a filiâ majus obsequium ac majora officia desiderare neutiquam potuisset; horum beneficiorum momento commotus, id sibi inprimis agendum censebat, ut non modo aeset gratum erga ipsam in hac vitâ ostenderet, verum etiam, quantum posset, post mortem suam ipsius saluti prospiceret. Et quum hoc nullâ ratione melius et efficacius esse praestare posse intelligeret, quam si ipsam duceret uxorem; ob incertum vitae spatium id nunc cum maxime agitabat. Sed quum per leges civiles ipsi non liceret cum sororis suae filiâ conjugium inire, nisi veniâ publice impetratâ, ad augustissimum Regem libellum supplicem mittebat, ab Ipsoque hanc sibi veniam exspectabat. Et ne forte ille libellus aut in oblivionem abiret, aut in nescio quas

difficultates incideret, aut omnino interiret, simul etiam se convertebat ad Virum Excellentissimum, *A. R. Falckium*, qui tunc carissimo nostro Patriae Patri ab actis et epistolis erat, eumque per veterem disciplinae necessitudinem rogabat, ut in hac honestissimâ et justissimâ causâ sibi fautor ac commendator esset. Cui rogationi quantâ cum humanitate et plane singulari atque eximiâ benevolentiâ hic Vir Exc. satisfecerit, eventus nos docuit. Mox enim, acceptâ ab augustissimo Rege legitimâ auctoritate, voti sui Wyttenbachius senex compos factus, die 17 Februarii 1817, inito matrimonio, illud officium explevit, quod ipsi tunc maxime cordi erat, suâque paternâ erga neptim curâ effecit, ut nomen *Wyttenbachiae* hodieque inter doctarum mulierum nomina unum e primariis locis obtineat.

Ab eruditissimo Creuzero, qui libros Ciceronis *De Naturâ Deorum* edere sibi proposuerat, rogatus, ut, si quas haberet animadversiones in illos libros, eas secum communicaret, haec ipsum rescripsisse video: *Quod meas in Ciceronem De Naturâ Deorum annotationes requiris, sunt haec, ut Tibi praesens narravi, dictata mea, nec aliter ea accipi et inscribi volo. Dictavi ea in scholis, quas jam alterum idque partim disserendo, partim dictando habui. Duo exemplaria in scriniis meis reperi, quorum alterum suis partibus absolutum Tibi destinavi, quodque ad Te prope-*

diem perveniet. Quantum per oculorum infirmitatem a me fieri potuit, *illud relegi, et quaedam addidi, aut delevi; quinetiam correxi. Sed de libro Tu ipse judicabis. Reperies eum certe accommodatum captui auditorum, quem adhibeant ut praesens intelligentiae subsidium, et pleraque omnia referri ad interpretationem sententiae, historiae, antiquitatis, philosophiae, observationem orationis Latinae, quaedam quoque ad restituendam manum Ciceronis. Quod vero magis discentibus, quam doctis, scriptiis est, quod etiam pars materiae ex prioribus assumta interpretibus est; hoc in hujusmodi consilio aliter fieri non poterat, et Heynius in Virgilio aliisque scriptoribus, et multi laudati viri in multis item fecerunt.*"

Atque hujus beneficii ipse Creuzerus his verbis candide ac peramanter meminit: » *Item* Wyttenbachius, *Vir in literis primarius, non codicum modo Leidensium mihi ultro copiam fecit, verum etiam, licet oculis suis officere sensisset id negotium, Scholas super hoc libro suas meâ causâ ipse perlustravit correxitque. Quo singulari in me studio factum est, ut earumdem* Excerptis *hanc meam editionem augere et exornare possem.*"

Scholis anno 1817 finitis cum conjuge ad insignem illum et omnium ore celebratum fontem, qui apud Tungros est, abierat, experturus, an aquarum usu nisi liberari morbo, certe levari posset. Nequicquam. Uti abierat, ita redibat, nec aquarum usus quidquam levaminis ipsi attulerat.

Itaque septuagenario major, quum *quadraginta sex* annos professorio munere functus esset, ac Batavorum terram non tantum luce suâ collustrasset, verum etiam magno bonorum discipulorum numero atque proventu beasset, nomen quidem suum inter *Emeritos* profitebatur, et veniâ aetatis utebatur, attamen non eo consilio, ut nullas omnino scholas in posterum amplius habiturus esset. Immo sibi proposuerat, nisi plures, certe unam scholam habere, quamprimum id per corporis vires facere posset. Quod tamen ipsius propositum ad effectum non pervenit. In Serie Lectionum, anni 1818, nomen ipsius alto silentio praetermissum erat, quasi jam in locum communem abiisset, aut certe non amplius opus videretur aliquam Wyttenbachii rationem habere; quum tamen aliorum item *rude donatorum* Professorum nomina in illâ Serie neutiquam omissa essent. Quam sibi illatam ignominiam senex non sine causâ aegre ferebat. Sed vel sic tamen isti nominis sui praeteritioni nihil aliud reponebat, nisi hoc: » *Daniel Wyttenbach, Professor Literarum Humaniorum, nomen suum antecedente in Serie omissum revocat, et porro tuebitur, repetens vetus promissum habendarum scholarum, si corpori vires accesserint.*"

Interea autem operam dederat, ut *Philomathiae* liber *tertius*, in publicam lucem prodiret, qui jam septem annis ante scribi et describi coeptus erat. — Qui liber ultimus

ab ipso editus censendus est. — Nam quominus hunc alii sequerentur, praecipue in causâ fuit et oculorum infirmitas et manuum tremor. His etenim malis simul cum scribendi facultate etiam voluntas imminuebatur. Ipse hoc diserte testatus est in fine Annotationis in Eunapium, ubi legimus: » *Annotandi officium intermissum usque ad hunc diem*, qui est 17 Aprilis anni 1818. *Interea vetus oculorum detrimentum increverat: accesserant nova, tarditas aetatis, rigor artuum, tremor manuum, alia multa, omnia adversaria studendo: in quo sunt multae magnaeque partes corporis, volutari in bibliothecâ, librorum sedes nosse, eos inde promere, in pulpitis exponare, evolvere, excerpere, quae plena sunt sudoris, et prorsus illud Hesiodeum subjiciant,* τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. *Ut igitur in operis difficultate longe majore, nostrâ facultate multo minore, lectores nobis ignoscant, si annotationis copiam et frequentiam ad paucitatem et brevitatem revocabimus. — At ne hoc quidem efficere increscens infirmitas sivit: sed propositum opus finire coëgit* die 25 Februarii 1816."

Quod tamen non ita accipiendum est, ac si ab eo inde tempore Wyttenbachius scribere omnino desierit. Cum ex aliis indiciis, tum e quibusdam nondum editis animadversionibus in Eunapium constat, ipsum ad extremum fere vitae tempus mirâ quâdam animi constantiâ in scribendi officio et lite-

rarum colendarum officio perseverasse. Neque dubito, quin unusquisque intellecturus sit, optimum senem nihil amplius typographo excudendum dare potuisse, modo ad deformitatem scripturae animadvertat, quae in illâ ultimâ animadversionum Eunapianarum particulâ conspici potest, quam secundum autographum quam diligentissime manu lithographi exarandam, et huic scriptioni addendam curavi.

Reliquam itaque vitae partem praestantissimus senex re vera in otio transegit, patienter ac moderate ingravescentia senectutis incommoda ferens, animumque philosophiae praeceptis et recte factorum conscientiâ recreans, donec initio Januarii 1820, in lectulo cubans, apoplexiâ corriperetur, unde neque se amplius movere, neque articulatim ac distincte loqui poterat. Carissima autem conjux isto inexspectato et repentino casu perculsa statim virum experientissimum *Bernardum*, mariti suavissimum collegam, arcessebat. Hujus igitur viri solertiâ et singulari curâ bonus senex tunc quidem e praesente mortis periculo feliciter extrahebatur; sed quum aliquot diebus post, iterato gravioris ἀποπλήξεως impetu, in idem discrimen rursus incidisset, omnia artis praecepta ab eodem medico et amico frustra adhibita essent, et dilectissima conjux per illud temporis intervallum incredibili pietate ac sollicitudine maritum fovisset, tandem

die 17 *Januarii* animam placide efflavit, bonisque omnibus ingens desiderium sui reliquit.

Hucusque igitur de vitâ ac rebus Wyttenbachii egi, et maxime memoratu digna per annorum seriem enarravi, quatenus illa ad meam notitiam pervenerunt. Atque ubi mecum reputo, ipsum a primâ juventute suâ nihil aliud sibi proposuisse, nisi ut in doctrinarum studio vitae suae tabernacula collocaret; non magis cuique sano ac prudenti mirum videri posse opinor, quam mihi videtur, cur huic studio maxime congruens vitae genus sibi elegerit, h. e., cur magis domi ac cum paucis doctis, quam extra domum et in circulis semidoctorum vivere voluerit. Scio quidem, fuisse jam multis abhinc annis quosdam vulgivagos, qui manibus, ut ajunt, pedibusque persuadere aliis conarentur, Wyttenbachium haud ita multum differre ab isto se ipsum cruciante Heautontimorumeno, et nisi omnino μισάνθρωπον, certe φυγάνθρωπον esse: verum etiam me non fugiunt, quae Clar. *Creuzerus* verissime scripsit, *Quod nonnulli mussitant subinde, Tuque ipse prae Te fers*, paucorum Te esse hominum, *illud eam vim habet, doctiorum Te esse, non otiosorum, non male feriatorum, non vulgi. Quorum qui esse velit, is non potest Musarum esse.*" Jam autem Wyttenbachium vitam suam Musis dicasse, ipsisque

dies noctesque operatum esse, non modo egregia illa, quae edidit, opera declarant, verum constat etiam ex epistolarum commercio, quod ipsi cum primariis in re literariâ viris, cum in Angliâ et Galliâ, tum in Germaniâ Italiâque, intercessit. Et quamquam, ut ipse ait, *demum post obitum Ruhnkenii epistolarum suarum exempla facere coeperit, ut reliquae vitae suae et instanti senectuti consuleret, nec obliviscereturs quae scripsisset;* tamen illa collectio plures quam *quadringentas* epistolas continet.

Quam parvi vero ipse leviorum homunciorum de se sermones aestimaverit, inprimis intelligitur ex illis, quae de vitae suae antea actae ratione senex scripsit: » *Haud me poenitet vitae adhuc sic actae: quam sive solitariam, sive umbraticam, sive scholasticam quis appellet, non repugno: modo illud concedat, unumquemque suam ipsum naturam nosse debere, ad eamque vitae suae genus rationemque ita accommodare, ut se ipsum et alios maxime juvet.*" Hoc autem Wyttenbachium fecisse, quis est qui negare ausit? Non contentus philosophorum praeceptis ad rerum divinarum et humanarum intelligentiam solummodo profecisse, in id ante omnia incumbebat, ut illarum rerum cognitio, quas studii sui assiduitate sibi acquisivisset, in actionem abiret, atque salutares fructus proferret. Eo spectabant tam ipsius colloquia cum praesentibus collegis, discipulis et ami-

cis habita, quam literae ad absentes scriptae. Eo referebatur omnis ejus docendi ratio, quam non ad solam discipulorum scientiam augendam referebat, verum in quâ ita versabatur, ut in auditorum suorum animis studium virtutis simul excitaret, eosque eo adduceret, ut morum elegantiam et honestatem cum doctrinarum disciplinâ conjungerent. Quod quam plurimi deinceps melioris notae juvenes grato pectore agnoverunt, et in suis ipsi scriptis professi sunt.

Hanc autem viam, quam semel ingressus erat, constanter persecutus est, seque rarâ quadam modestiâ et singulari liberalitate per omnem vitam spectabilem reddidit.

Neque enim in sermonibus, neque in scriptis suis se unquam supra alios extulit, sed potius sese infra alios semper posuit, quamvis eos eruditione longe superaret. Atque alienus ab omni vanitate, nec ipse honores sibi ab aliis habitos, more multorum, per ephemerides aut menstruos libellos divulgavit, nec id ab amicis suis fieri voluit. Sic v. c. non ad vulgi, sed vix ad paucorum familiarium notitiam pervenit, ipsum anno 1802 *Societatis Latinae Jenensis*, anno 1811 *Societatis Regiae Göttingensis*, et anno 1814 *Instituti Regii Francici* sodalem cooptatum esse.

Et quum vix quisquam, qui sua negligat, aliis consulere queat, tenendum est, Wyttenbachium semper studiose cavisse, ut ne

in liberalitate suâ desiderari posset ethica; cujus unum e praecipuis praeceptis hoc est, Virtutem in mediocritate esse positam, et ab extremis utrimque reductam. Hinc et liberalis erat, et simul ad rem attentus, ut nimirum haberet, unde liberalior esse posset. Vanam vero liberalitatem ferre omnino non poterat, et prodigus neque esse, neque haberi volebat. Istiusmodi homunciones maxime contemnebat, quia saepius viderat, longe maximam istorum partem aut aliis detrahere, aut aes alienum contrahere, aut creditores differre, aut non solvendo esse; ita ut de istis vulgo quererentur non solum,

cupediarii omnes,

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,

verum etiam vinarii, vestiarii, sutores, sartores, fabri et multi alii. — Jam autem liberalitas Wyttenbachii partim ad discipulos, partim ad alios pertinebat. Erant ipsius scholae admodum frequentes studiosorum juvenum numero, sed tam frequentes sane non fuissent, si ab omnibus auditoribus honorarium severe exegisset. Ex illis indicibus, quibus auditores nomina sua inscribere solent, factâ computatione, mihi luce clarius apparuit, Wyttenbachium Leidae *aliquot florenorum millia* discipulis remisisse. Sed quoniam ostentationem non sectabatur, verum illud praeceptum religiose sequebatur, quo hi tantum beneficia meminisse jubentur, qui ea acceperunt, non vero commemorare, qui ea contulerunt,

idcirco ipsius liberalitas vulgo minus nota fuit. At tandem tamen, ipso vel maxime invito, illa aliquâ certe ex parte anno 1817 magis innotuit; quo anno nimirum ob annonae caritatem cum aliae urbes, tum praecipue Leida pauperibus adeo oppleta erat, ut nemo paulo honestior civis vel advena domo vel diversorio exire posset, quin continuo in mendicorum catervas incideret. Tunc enim optimo cuique, ad scholas habendas in urbem venienti, tanta mendicantium turba, stipem ablaturi, extra portam semper obviam ibat, ipsumque usque ad auditorium sequebatur, ut magistratus de ea certiores facti, tandem meminerint, ne a faece plebis in plateâ obruerentur, ipsumque amice praemonerent, ut sibi caveret, affirmantes, ad mendicorum importunitatem in tantâ cibariorum inopiâ et caritate coërcendam accensorum nimis exiguum numerum non sufficere.

Sed cur pluta? Quum Wyttenbachius unus ex illis fuerit, quos Plinius beatissimos judicat, qui scribenda fecerit, et legenda scripserit, atque idcirco non indigeat meo praeconio, nec ego is sim, qui eximii viri cum ingenii tum animi virtutes, quod in praefatione jam dixi, pro meritis laudare queam; satis sit dixisse, me neutiquam dubitare, quin boni, aequi et harum rerum idonei judices, qui ipsi vivo cunctis suffragiis ob eximiam doctrinae praestantiam unum e principibus locis inter eruditorum principes dederunt,

mortui quoque nomen ac famam, quamdiu literis humanioribus apud cultiores orbis terrarum nationes suus honos constabit, perpetuo summâ cum laude celebraturi sint.

Sepultus autem est in horto suo prope introitum, fere sub fenestram coenaculi. Hunc enim locum non modo ipse sibi vivus futuro sepulcro elegerat, verum etiam carissimae conjugi mandaverat, ut, si quid sibi accidisset, aliquot pondo calcis vivae loculo mortuali imponeret, quo citius corpus suum dissolveretur. Quod mandatum humanissima vidua quam diligentissime peregit. Verum ut eadem, quemadmodum sibi proposuit, etiam propediem sepulcro cippum impositi curet, etiam atque etiam opto. Tali enim modo poterit quivis hortum praeteriens viator videre, ubi sepositum sit corpus unius ex celeberrimis triumviris illis, qui in eâ vicinia deinceps rusticati sunt. Ubinam enim alibi invenies locum, in quo passis uno oculorum obtutu conspicere tria suburbana fere contigua virorum, quales *Cartesius*, *Boerhavius*, *Wytenbachius* fuerunt?

Atque, his scriptis, huic opusculo finem impono, nihil ardentius optans, nisi ut illis tribus coryphaeis similes virtute, doctrinâ et sapientiâ viri patriae nostrae nunquam desint.

FINIS.

ANNOTATIO.

Ut lectores, si velint, ipsos fontes adire queant, e quibus plurima hausi, hanc Annotationem scriptioni addendam haud inutile duxi.

Pag. 1. *Scimus quidem*] Haec sumsi e *Mausoleo Bernensi*, libro Germanice scripto, Bernae 1740.
Literatos duos] Philom. Lib. I. p. 3.
3. *Ciceronis*] De Off. I. 33.
Euripidis] Hel. vs. 941.
quibus initiis] Bibl. Crit. P. VI. p. 139.
4. *Daniel*] In *Elogio* Bangii p. 41. simpliciter *Daniel* nominatur; at vero in *Memoriâ* Danielis Wyttenbachii, patris, a M. C. Curtio scriptâ, *Daniel Albertus* vocatur. Ergo quaeritur, cur posteriori praenomine numquam usus sit. Quod neminem certo scire opinor. Memini ipsum mihi aliquando in familiari colloquio narrare: *duo habui praenomina*, alterum *biblicum* Danielis, alterum *barbarum* Alberti. Prius retinui, posterius rejeci: idque eo magis, quod mihi vocabulo Germanico *albern* (*stolidus*), qualis nec esse, nec haberi volebam, nimis affine videbatur. At quis non videt, haec ab ipso *per jocum* dicta fuisse?
5. *frigidus horror.*] Virg. A. II. 120, III. 30.
13. *Proveniant*] Ovid. Amor. I. el. V. 26.

Pag. 14. *is senem*] Ter. in Phorm. I. 2. 17.
Quam theologiae] Bang. Elog. p. 31.
15. *Hic in deliberando*] Bang. l. l.
16. *Cum vero jam*] Bang. p. 32.
19. *Jacobus Juegerus*] Bibl. Crit. P. XII. p. 96.
21. *vide, quomodo agam*] Bibl. Crit. P. XI. p. XVII.
Sic se res habet] Praefat. ad Plat. Phaed. p. VI.
23. *Omnino fraterni*] Philom. L. III. p. 227.
31. *Quo quisque.*] Cic. Pro Rosc. Com. c. XI.
32. *Quatuordecim annos*] Cf. Praefat. ad Sel. Princ. Hist. p. XXXV.
Coingius.) De *Joh. Franc. Coingio*, *Christoph. Frid. Geigero*, et *Joh. Conrardo Spangenbergio* aliisque Professoribus Academiae Marburgensis operae pretium est legere Strieder's *Hessische Gelehrtengeschichte.*
33. *Philologia*] Vita Ruhnk. p. 12.
nec aliorum judicio] Cic. de Or. I. c. 39.
37. *homines conciliat*) de Off. I. c. 4.
51. *legere multum*) J. O. X. I. 19. Plin. Ep. VII. 9.
53. *Nemo adeo*] Hor. I. Ep. I. 19.
54. *Olli subridens*) Virg. Aen. I. 258.
55. *τῆς περὶ θεῶν*) Plut. T. II. p. 164. D.
57. *Diffugiunt*) Lucret. III. 16.
61. *Interea*) Ter. Andr. II. 1. 14.
68. *Indulgentem*) Bang. Elog. p. 41.
69. *Duodevicesimum*) Praefat. ad Sel. Princ. Hist. p. XXXI.
71. *Praeposterum*) Vita Ruhnk. p. 32.
accessi) Praefat. ad. Sel. Princ. Hist. p. XXXII.
72. *Jam putabam*) l. l. p. XXXIII.
74. *Xenophontis*) Bang. Elog. p. 16.
Mihi vero) Ep. Wytt. ad. Heusdium in Spec. Plat. p. XXX.

Pag. 175. *Caeterum*) Bibl. Crit. P. XI. p. 4.
176. *quando non possumus*) Praef. ad Plut. Mor. p. 7, edit. f. 4.
178. *Age ad eam*) Conf. Bibl. Crit. P. XI. p. IV.
183. *Ipse quidem*) Bibl. Crit. P. XII. in Επιορθ. p. 222.
190. *Selectorum*) Bibl. Crit. P. XII. p. 107.
196. *enarrantem audiamus*) Philom. L. I. p. 200.
198. *Die scilicet 4 Muji*) Conf. Nuntius Artium et Literarum A. 1808. N° XXI. p. 323.
200. *J. Theod. Netscher* Philom. L. I. p. 190.
Janus Bake) Philom. L. II. p. 210.
Bern van Laar) l. l. p. 220.
L. C. Luzac) l. l. p. 216.
201. *Olympiodoro*) Annot. in Plat. Phaed. p. 100, et Philom. III. p. 32.
Ut haec extrema) Epilog. ad Plat. Phaed. p. 366.
202. *Fratrum quoque*) Ovid. Met. I, 145.
Di maris) Ovid. Trist. I. el. 2.
203. *Protreptico*) Philom. L. II. p. 175.
205. *raram esse*) Tac. Hist. L. I. c. II.
Nonnulli, qui Censuras) Bibl. Crit. P. V. p. IV.
206. *Ut donum*) Philom. L. I. p. 190.
vere eruditi) Philom. L. II. p. 196.
Disputandi) Philom. L. III. p. 20.
210. *lacrymas fudisse*) Nunt. Art. et Lit. A. 1811. N° XLI. p. 227.
die 21 ejusdem mensis) L. laud. N° XLIV. p. 275. et Vir Rev. Jod. Heringa in Orat., quae legitur in Ann. Acad. Traj. vol. I. pag. 107. et seqq.
211. *tertiam Nov.*) Nunt. Art. et Lit. A. 1812. N° XLV. p. 306.

Pag. 211. *seposito*) Philom. L. III. p. 265.
212. *Theses Inaugurales* XXII) Philom. L. III. p. 267.
magnâ pompâ) Nunt. Art. et Lit. A. 1812. N° XLVII. p. 330.
216. *Paradoxa Ciceronis*) Philom. L. III. p. 269.
217. *Exemplo Catonis*) Plut. T. II. p. 320. B.
218. *Praefecto ostiorum Mosae*) Nunt. Art. et Lit. A. 1813. N° XXII. p. 338.
223. *Satellitum honorariorum*) Philom. L. III. p. 233.
225. *aurei profecto generis*) Philom. L. III. p. 298.
228. *Idem, quum eodem*) Philom. L. I. p. 133.
232. *De Malo*) Bibl. Crit. P. X. p. 135.
233. *Symposiaca*) Nunt. Art. et Lit. A. 1823. N° XVII. p. 269.
Hoc ipse alicubi) Bibl. Crit. P. XI. p. XXIX.
238. *in quas ingeniosi*) Vita Ruhnk. p. 121, 122.
240. *Item* Wyttenbachius) Creuz. Praef. ad Cic. De N. D. p. X.
244. die 17 Januarii 1820.) Cf. Orat. V. Cl. De Pui in Annal. Acad. L. Bat. vol. V. p. 20., et Nunt. Art. et Lit. A. 1820. N° IV. p. 49.
quod nonnulli mussitant) Ep. ad D. Wytt., praefixa Plotino, p. XXVII.
245. *demum post obitum* R.) Bibl. Crit. P. XII. p. 92.
Haud me poenitet.) Philom. L. I. p. 14.
247. *Cupediarii*) Terent. Eun. II. 2. 25.
249. *cippum imponi curet*) Scripsit mihi ruperrime honestissima vidua, id jamjam actum iri.

GANDAVI, EX OFFICINA TYPOGRAPHI ACADEMICI
P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE.

173. ὁ δὲ λόγος αὐτῷ κ. τ. λ. De stilo Liba
ii rectius judicare possumus ipsi ex ejus
ciptis, quae plurima superfert. De hoc argu
nto audivi exstare disputationem Regeri,
iam ipse non vidi. Quem ut accurate hominem
dicii istam Euripii sententiam palam, non
edibile est. Nos sane eam peritius repudiamus.
ui eorum, quae iste in Libanio notavit, nil
ignoscere observare nos meminimus ec
llam ignorantiam generis declamatoris nec
ntam inopiam spiritus oratorii: nec confecta
onem ritiecelli: ut captationem dissuadendi
nque per alios, tanquam vaninarum per an
las introductionem.

Lith. de Kierdorff à Gand.